Q. HORATI FLACCI
OPERA

O

Q. HORATI FLACCI

OPERA.

RECOGNOVIT PRAEFATVS EST
ADNOTATIONES CRITICAS ADDIDIT

HECTOR STAMPINI

MVTINAE

AN. MDCCCXCII

SVMPTIBVS ERNESTI SARASINO BIBLIOPOLAE

HAEC HORATI OPERVM EDITIO LEGVM TVTELAE PATROCINIOQVE COMMISSA ET CREDITA EST

PETRO RASI

VIRO DOCTISSIMO

D

HECTOR STAMPINI
LEGENTIBVS S. D.

Cum primum rogatu Ernesti Sarasino, bibliopolae humanissimi, id munus suscepi, ut Horatii opera ad praestantissimorum librorum rationem recognita et criticis adnotationibus aucta ederem, me optime facturum existimavi, si, codicum manu scriptorum lectionibus, quas vocant, diligentissime collectis, perpensis, collatis, ac doctorum hominum coniecturis, correctionibus, emendationibus inspectis, potius ad vetustissimorum exemplarium fidem, quam ad interpretum commenta Horatium meum exigerem. Neque enim quemquam latet multos homines doctos, Bentleii vestigia persecutos, sic in Horatianis versibus retractandis versatos esse, ut non verum illud

exemplar exprimerent, quod a poetae Venusini manu profectum esset, sed adulterinum nescio quod et commenticium opus exhiberent, in quo disiecti quidem membra poetae, non vero sinceram et integram et nullis pravitatibus detortam Horatii effigiem agnoscas.

Sed haec non ita dicta esse volo, quasi a Bentleii aliorumque recentiorum interpretum studiis laetos et uberes fructus ferri posse negem. Nam cum diuturnam operam considero, quam Bentleius Horatio navavit, et mecum ipse reputo quot emendationes rectissimae acerrimo eius et perspicacissimo ingenio debeantur; quot falsae aut ineptae veterum editionum lectiones eius argumentis et rationibus refutatae reiectaeque sint; quot veras atque exquisitas ex libris manu scriptis sagacissime depromptas ab oblivione tandem vindicaverit restituendasque curaverit; quot errores opinionum perversitate inveteratos depulerit; facere non possum quin tantum virum de Horatianis studiis optime omnium meruisse persuasissimum habeam. Cum vero tot coniecturas animo expendere penitusque perscrutari aggredior, quibus saepe Horatii

verba temere immutaverit, multosque deinceps criticos video, eius auctoritatem exemplumque secutos, innumeris opinionum commentis, pravis perversisque mutationibus poetam Venusinum sollicitasse, eoque temeritatis et vecordiae processisse, ut plurimos versus atque etiam nonnulla carmina adimerent ab Horatioque abiudicarent; mihi temperare non possum quin artem criticam, quam appellant, a recto itinere Bentleii opera deflexam et quasi quodammodo detortam esse omni asseveratione affirmem.

Equidem non is sum qui ignorem etiam ante Bentleium interpretes exstitisse, qui compluribus Horatii locis coniecturas suas impingere auderent; quarum haud paucas infitiari nequeo a Bentleio acutissime infirmatas esse et dilutas: doleo tamen ipsum, qui tot virorum doctorum commenta delevisset, suis coniecturis nullum fere modum et finem fecisse exemplumque praebuisse ad imitandum, quod multi scilicet intuentes alterum, prope dixi, sibi quisque Horatium fabricati sunt. Illud tamen animadvertendum est nostris temporibus aliquot homines Horatii studiosos,

relictis Bentleii, Peerlkampi, Meinekii, Luc. Muelleri, aliorum vestigiis, ad codicum optimae notae normam Horatium suum dirigere et accommodare maluisse; inter quos principem locum mihi tenere videntur Kellerus et Holderus. Horum enim doctrina et industria factum est, ut non solum quem nobis Horatium praestantissimi iidemque antiquissimi libri manu scripti tradiderint, eum facile inspiciamus, verum etiam ut cernere possimus quam pauci sint Horatii loci, quos per coniecturas emendari oporteat. Hos ego eruditissimos viros secutus sum, non ita tamen, ut semper utriusque vestigiis insisterem. Multas enim lectiones vidi, quae cum in maiore et minore ipsorum editionibus repudiatae sunt, tum etiam reiectae sunt in Kelleri Epilegomenis et in novissima editione, quam idem Kellerus, socio operis I. Haeussnero adscito, in lucem protulit anno christiano MDCCCLXXXVIII.

Praeterea, cum interdum, neglectis codicibus, aut aliorum aut suis coniecturis Kellerus et Holderus primas dare non dubitavissent, ego pro certo habens non tantum Homerum sed etiam Horatium aliquando dormitasse,

nusquam codicum testimonium aspernari novasque lectiones coniectando assequi volui, nisi cum mihi nullam ex libris scriptis satis probabilem sententiam erui posse exploratissimum esset. Quamquam fateor, neque fateri me pudet, perpaucos huiusmodi locos meis oculis esse obversatos; quos quam levissima mutatione, verisimillimam quamque coniecturam amplexus, emendavi. Nostra enim aetate ille mihi multo maiorem laudem consequi posse videtur, qui traditas optimis codicibus lectiones, quotiens id sententiarum ratio et natura patiatur, in sedem suam revocare studeat, quam qui novarum rerum atque inanis gloriolae cupidine capti, contempto librorum omnium consensu, inconsulti et temerarii verba scriptorum mutare et corrigere conentur.

De adnotationibus meis pauca dicam. Quibus quidem cum eo spectarem ut non solum praecipuas lectiones et singulares, verum etiam doctorum coniecturas comprehenderem; neque in tam exigua paginarum spatia congerere multa liceret; Bentleii potissimum et Peerlkampi coniecturas minutissimis litterarum formis exscribendas curavi. Atta-

men haud raro aliorum multorum mentionem inieci. Passim enim Christophorus Landinus laudatur, Locherus (vel Loscherus, quemadmodum apud Bentleium scriptum legimus), Aldus Manutius, Matth. Bonfinis, Glareanus, Erasmus, Britannicus, Achilles Statius, Fr. Luisinus, Georg. Fabricius, Pulmannus, Lambinus, Muretus, Canterus, Henr. Stephanus, Cruquius, Acidalius, Passeratius, Ios. Scaliger, Bersmannus, Marcilius, Torrentius, Dan. Heinsius, Rutgersius, Salmasius, Barthius, Ramirezius de Prado, Tan. Faber, Nic. Heinsius, Dacierus, Guietus, Boivinus, Baxterus, Galeus, Burmannus, Broukhusius, Cuninghamus, Sanadonus, Marklandus, Hemsterhuysius, Dorvillius, Oudendorpius, Schraderus, Valartius, Wakefieldus, Withofius, Mitscherlichius, Praedicowius, Fea, Bothius, Iaeckius, Campenonus, Pottierus, Iacobsius, Braunhardus, Orellius, Paulyus, Teuffelius, Franckius, Froehlichius, Hochederus, Hanowius, Kreusslerus, Reisigius, Paldamus, Ahlmeyerus, Horkelius, Hamacherus, Schneidewinus, Linkerus, Hitzigius, Gruppius, Seyffertius, Usenerus, Ungerus, Herbstius, Hartungius, Ecksteinus, Iee-

pius, Bergkius, Ribbeckius, Baehrensius, Meinekius, Hauptius, Madvigius, imprimis autem Lachmannus, alii denique, quorum nonnullae lectiones suo quaeque loco adscriptae sunt.

Nec quemquam mihi succensere posse arbitror, quod paucos aetatis nostrae interpretes in adnotationibus meis quasi testes produxerim. Nullo quippe modo, ut Iuvenalis verbis utar, mihi millesima pagina surgeret, si in adnotationibus non solum Horatium meum cum Bentleio, Doeringio, Peerlkampo, Kirchnero, Rittero, Doederlino comparassem, verum etiam cum omnibus lectionibus contulissem, quas aut ex libris manu scriptis aut ex suis aliorumve coniecturis hac nostra aetate interpretes protulissent. Cum igitur mihi volumina Kelleri et Holderi editionesque praesto fuissent a Trezza, Dillenburgero, Fritzschio, Luc. Muellero, Schuetzio, Nauckio, G. Kruegero, Hirschfeldero, Kiesslingio, Sabbadinio, Mewesio evulgatae (1), non omnium

---

(1) Sexta Dillenburgeri, secunda Schuetzii (*Oden und Epoden*), decima Nauckii (*Oden und Epoden*), Orel-

tamen lectiones semper commemorandas esse censui. Quin etiam, ne longa nominum serie nimium crescerent adnotationes meae, alios in Carminibus, alios in Sermonibus, alios in Epistulis et Arte poetica illustrandis, paucos ubique citavi auctores. Verum in ea re omni cura elaboravi, ut quae lectiones Bentleii studiis deberentur, sive probandae essent sive improbandae, in medio ponerentur. Quod cum in priore operis mei parte ita factum esse animadvertissem, ut multa quidem desiderarentur, quae omnino omittenda non essent, multasque adnotationes vidissem suscepto consilio parum respondere neque cum adnotationum ratione congruere, quae Sermonibus, Epistulis, Arti poeticae subditae essent, omnia quae in illis praetermiseram, in extrema voluminis parte exposui.

In schedis corrigendis, quae mihi ex officina Liburnensi typis exscriptae semel ite-

---

liana minor sexta Hirschfelderi, decima G. T. A. Kruegeri (*Satiren und Episteln*), Luciani Muelleri editio an. MDCCCLXXXVII iterum recognita mihi in manibus fuere.

rumque mittebantur, multam operam et laborem consumpsi. Neque minore diligentia defunctus est Ant. Vigo, Francisci F., officinator librarius magna fama nobilitatus, qui, qua est erga me humanitate, omni studio cogitationeque omni in id incubuit, ut quam emendatissimum hoc volumen prelis suis traderetur. Praeterire igitur nequeo quin meritam ei gratiam persolvam.

Sed nunc tempus est me de codicibus Horatianis tractare, quos potissimum in hac editione spectaverim. Quod quidem paucis exponam.

a = *Ambrosianus* O. 136. sup., olim *Avenionensis*; in bibliotheca Ambrosiana asservatur. Hunc omnium italicorum codd., quibus Horatii opera comprehendantur, antiquissimum esse apud Hauthalium legimus. Saeculo autem VIIII p. Chr. n. exeunte aut certe X ineunte exaratus esse ex eodemque exemplari, tamquam fonte, fluxisse videtur a quo descriptus est A.

A = *Parisinus* 7900 A. Lutetiae Parisiorum est in bibliotheca rei publicae. Olim *Puteaneus* appellabatur a nomine Claudii Dupuy. Scripturam exhibet saeculi X, omniaque Horatii opera complectitur praeter Epistularum librum II et Artem poeticam. Atque illud etiam animadvertendum est aliquot huius codicis folia, quibus continentur Epod. 16, 27 — 17, 81 et Epist. I, 6, 65 — I, 12, 29, nunc in bibliotheca latere civitatis Hamburgensis.

B = *Bernensis* 363., olim *Floriacensis* a nomine dictus urbis Fleury-sur-Loire, in cuius monasterio diu servatus fuit. Saeculo autem XVI exeunte, cum in Gallia civilia bella religionis causa exardescerent, accidit ut Floriacensis bibliotheca a victoribus caperetur magnaque eius librorum pars in Petri Danielis manus veniret, a cuius heredibus cum alios libros tum etiam hunc, de quo loquimur, codicem emit Iacobus Bongarsius. Nunc vero exstat in bibliotheca civitatis Bernensis. Iis litterarum formis scriptus est quae Irelandenses proprio vocabulo nominantur quaeque ad uncialem scripturam proxime

accedunt. Si autem Horatii codd. respicimus qui ad nostram usque aetatem pervenerunt, eum omnium antiquissimum esse iure affirmavit Hauthalius a quo saeculo VIII adsignatus est. Quod quamquam per se satis probabile est, tamen non errare nobis videmur, si eum potius ineunte saeculo VIIII scriptum esse statuamus. Quare dolendum est in hoc codice partem Horatii operum desiderari. Nam « qui librum Bernensem sibi fecit, » inquit Ritterus « ille non hoc secutus est ut exemplar suum integrum describeret, sed carminum ac metrorum exempla discentibus praebere voluit ».

β = *Bernensis* 21, saeculi, ut videtur, X ineuntis. Hunc quoque ex monasterio Floriacensi primum in bibliothecam Iacobi Bongarsii, deinde vero Bernam translatum esse satis superque constat.

γ = *Parisinus* 7975. Lutetiae Parisiorum in bibliotheca rei publicae asservatur; sed olim Bliaudifonte (Fontainebleau) inter libros Henrici II Gallorum regis fuit, unde etiam *Bliaudifontanus* appellatur. Saeculo X exeunte aut XI ineunte perscriptus est. Cum

vero sex folia, nescio quo casu, avulsa essent, ea saeculo XV aut XVI restituta esse animadvertit Aemilius Chatelain (1).

δ = *Harleianus* 2725 saeculi VIIII, nomine Eduardi Harley nuncupatus. Vocatur etiam *Graevianus*, cum olim I. G. Graevii in dicione fuerit. Nunc vero Museo Britannico eius custodia commissa est. Mutilus est; Sermonum enim, qui in hoc codice Epistulas excipiunt, pars exstat, cum complures membranae laceratae sint, et eae quidem post versum 113 satirae secundae libri primi; ut non dicam folia numeris 25 et 26 signata saeculo XIII suppleta esse. Ars tamen poetica reliqua est, quippe quae ante Epodon librum exhibeatur. Ceterum hic codex, quem a Bentleio examinatum collatumque esse scimus, ex eodem libro descriptus esse videtur, quo

d = *Harleianus* 2688. Huius codicis, qui in saeculi X libros referendus est, 24 folia supersunt, quorum compluribus variae alio-

(1) *Paléographie des Classiques latins. Sixième livraison. HORACE. Paris*, 1888.

rum scriptorum reliquiae continentur. Quae autem pars ad Horatii opera spectat, ea trium quaternionum finibus inclusa est. Mutilum igitur et hiantem codicem habes.

g = *Gothanus* chart. B. 61. Qui quamquam non ante an. MCCCCLVI est exaratus, tamen permagni a doctis aestimatur. In ea enim parte, quae ad Sermones et Epistulas pertinet, cum *Blandinio vetustissimo* ita consentit, ut ex huius archetypo depromptus esse videatur. Libris adnumeratur bibliothecae aulicae Gothanae. Saepe etiam a doctis *Gothanus secundus* vel *Gothanus alter* appellatur.

ϑ = *Sangallensis monasteriensis* saeculi X aut XI, Fani Sancti Galli in bibliotheca ordinis canonicorum nota 864 insignitus. Horatii carmina complectitur usque ad lib. IIII, 11, 34 parvique momenti esse videtur.

l = *Leidensis* F. 28. saeculi VIIII, ut videtur, exeuntis. Fuit olim in libris sacrae aedis Sancti Petri Belvacensis (Saint-Pierre de Beauvais), nunc vero in bibliotheca Athenaei Leidensis custoditur. Eius archetypus idem plane fuit ac codicis λ.

λ = *Parisinus* 7972 saeculi X ineuntis. Qui cum ex libris scriptis bibliothecae Io. Iacobi Menteli sumptus sit, *Mentelianus* nomine nuncupatur. Lutetiae Parisiorum in bibliotheca rei publicae asservatur.

L = *Lipsiensis* I. 4. 38. libris adnumerandus publicae civitatis Lipsiensis bibliothecae. Omnia Horatii opera inde a carm. I, 2, 38 praebet, ex eodemque libro saeculo XI ductus esse videtur quo

π = *Parisinus* 10310, codicum numero adscriptus qui Lutetiae Parisiorum in bibliotheca rei publicae conservantur. Hic, si credendum est Aemilio Chatelain, idem esse videtur ac cod. *Augustodunensis*, cui ab urbe Augustoduno (hodie Autun) nomen inditum est. De aetate parum convenit inter doctos. Nam, ut ceteros omittam, Aemilius Chatelain saeculo VIIII aut X, Kellerus vero saeculo X aut XI hunc cod. adsignandum esse censuit.

R = *Vaticanus Reginae*, vulgo *Sueco-Vaticanus*, 1703. Quorum nominum origo ab eo repetenda est, quod cum libris Christinae, reginae Suecorum, in bibliothecam Vaticanam devenit. Romam autem a mona-

sterio Wissenburgensi delatus erat. Ad saeculum VIIII pertinere omniumque Romanorum Horatii codicum antiquissimus esse videtur.

σ = *Sangallensis oppidanus*, publicae Fani Sancti Galli bibliothecae in custodiam traditus, signo apposito 312. Hic liber, si Kellerum sequimur, ex eodem exemplari profectus esse videtur ac codex *Petropolitanus* saeculi XIIII, qui cum a Fano Sancti Germani ad Sequanam (hodie Saint-Germain-des-Prés) oriundus esset, *Sangermanensis* olim appellabatur. Quare etiam librum Sangallensem a Gallia originem duxisse Kellerus probabili coniectura collegit. Cuius de aetate docti homines inter se dissentiunt. Ipse ad Aemilii Chatelain opinionem accedo, qui codicis scripturam ad saeculum XI referendam esse arbitratur.

τ = *Turicensis* C. 154. Codex est bibliothecae Academiae Turicensis. Carminum libros IIII ex parte mutilos, Artem poeticam et Epodon librum decurtatum habet. Litteris saeculi X scriptus est. Ceterum Kellerus partem huius codicis ex eodem fonte derivatam esse coniecit ac codicem *Argentoratens*

notis C. VII. 7. signatum (D apud Iacobum Oberlinum) et Argentorati (hodie Strassburg) asservatum, cuius ortum a saeculo XI Hauthalius, a saeculo X Kellerus repetivit.

φ = *Parisinus* 7974 saeculi X in Parisina rei publicae bibliotheca inter vetustissimos codices repositus. Olim vero *Remensis* vocabatur, cum in libris fuisset Sancti Remigii in urbe Remis (Durocortoro, hodie Rheims). Dicitur etiam *Puteaneus* a fratrum Puteanorum nomine. Apographus est ad eiusdem prorsus libri exemplar expressus, a quo descriptus est

ψ = *Parisinus* 7971 saeculi X ineuntis. Huic olim nomen fuerat *Floriacensis*. Sed cum a monasterio Floriacensi, de quo supra mentionem feci, in Bliaudifontanam Gallorum regis bibliothecam esset delatus, a novae sedis nomine *Bliaudifontanus* vocitatus fuit. Nunc vero, mutato nomine, in numero librorum manu scriptorum est, quibus Parisina rei publicae bibliotheca ornata est et copiosa.

Alios etiam codices ad ipsamet vulgata Horatii verba confirmanda aut veras lectio-

nes, quas vocant, definiendas ac tot febriculosas doctorum virorum coniecturas refellendas in adnotationibus meis testes adhibui; quorum praestantissimi sunt

Bruxellensis in bibliotheca regis Belgarum numeris 9776, 9777, 9778 notatus.

Einsiedlensis in bibliotheca coenobii Einsiedlensis nota 361 signatus. Appellatur etiam *Morellianus* nomenque ex inventore repperit. Gallus enim Morellus, praefectus bibliothecae Einsiedlensis, hunc librum ex vetustis discerpti codicis Horatiani membranis composuit, quibus structores librarii ad aliquot libros tegumentis tuendos usi erant, et iis quidem partim in coenobio suo, partim in Sancti Geroldi monasterio diligentissime collectis. Constat igitur ex duobus et viginti membranarum fragmentis, quae recte Kirchnerus saeculo X adiudicavit.

Mellicensis saeculi XI, olim ex Gallia in bibliothecam Benedictinorum Mellicensium translatus.

Monacensis 14685, olim *Emmerammensis* 685, ex monasterio Sancti Emmerammi Ratisbonensi oriundus, scripturas saeculi XI

et XII prae se ferens. Duae enim partes sunt inter se diversae, quarum una (C apud Kellerum) saeculo XI, altera (E apud Kellerum) saeculo XII exarata est. Quae autem pertinet ad saeculum XI, ea cum codice *Bernensi* 363 (quem littera B supra notavimus) tam arta cognatione coniuncta est, ut communem utriusque libri archetypum fuisse concludere par sit.

Parisinus 7973, olim *Floriacensis*, saeculi X ineuntis.

Parisinus 8213, saeculi XII exeuntis.

Taurinensis, cui adscripta est nota I. VI. 2 (olim K. I. 7). Ad exitum spectat saeculi XI.

Interdum etiam codices *Dessaviensem A* (olim *Nienburgensem*) saeculi X ineuntis, *Montepessulanum* saeculi XII, *Leidensem* 21 (olim *Vossianum*) saeculi XII, *Parisinos* 8214, 8216 saeculi XII, *Reginensem* saeculi X, Oxonii in collegio Reginensi asservatum, alios denique commemoravi, quos apud Kirchnerum (1),

(1) *Novae Quaest. Horat. Numburgi*, MDCCCXLVII et *Q. Horatii Flacci Sermonum libri duo. Lipsiae*, MDCCCLIV, Pars I, p. XX sqq.

Hauthalium (1), Kellerum (2) descriptos reperies (3).

Restat ut pauca dicamus de codicibus *Blandiniis*, quos Cruquius ad Horatium suum edendum atque illustrandum adhibuit. Dolendum quidem est nullam a Cruquio paulo pleniorem veterum illorum codicum, imprimis autem *Blandinii vetustissimi*, descriptionem litteris mandatam esse, utpote quorum ne vestigium quidem exstet, si varias lectiones exceperis ab ipso Cruquio satis neglegenter,

---

(1) *Scholia Horatiana Acronis et Porphyrionis* in ea parte quae inscribitur *Addenda et Corrigenda.* Vol. I, p. II sqq.

(2) *Q. Horati Flacci Opera recensuerunt O. Keller et A. Holder.* Vol. II. fasc. II., *Praefatio*, pp. III-XVIII.

(3) In ea parte codicis A quae in bibliotheca Hamburgensi asservatur et in libris *l*λg *Bruxell. Taurin. Paris.* 8216 *Reginensi* Vettii Agorii Mavortii subscriptionem legimus, quae Epodon libro subiecta ad hunc modum in *l* exhibetur: *Vettius Agorius Basilius Mavortius, vir clarissimus et illuster, ex comite domestico, ex consule ordinario, legi et ut potui emendavi, conferente mihi magistro Felice oratore urbis Romae.* Hic ille Mavortius est qui anno christiano DXXVII consulatum gessit. Cfr. Kelleri *Praef.*, p. XV sq. et Aemilii Chatelain *Paléogr.*

ut videntur, expressas atque editioni adscriptas anni christiani MDLXXVIII. Cum igitur bibliotheca Blandinia Benedictinorum fratrum Sancti Petri in monte Blandinio (hodie Blankenberg) Gandavi Belgico tumultu anno MDLXVI aut MDLXVIII, ut multi memoriae prodiderunt, vastata et direpta esset, quattuor illi codices, qui eo Roma ad Sancti Benedicti sectatores missi erant, miseranda Blandiniae bibliothecae ruina absumpti sunt. Nullam tamen causam reperio quamobrem Kellero et Holdero assentiamur, qui et Cruquii testimonium labefactare et libris Blandiniis fidem abrogare ausi sint. Fuerit quidem in variis suorum librorum lectionibus exscribendis indiligens, fuerit mendosus; falsi vero crimine liceat Cruquio omnino carere, praesertim cum ab eo codicem quoque Divaei, nunc Leidensem 127 A, ita collatum esse exploratum sit, ut, si non ab erroribus, at certe ab omni minimae fraudis suspicione eum remotissimum fuisse fatendum sit (1).

---

(1) Cfr. Teuffelii *Geschichte der Römischen Literatur*, I⁵, § 240, 6, p. 537.

Haec habui quae de codicibus dicerem, quorum praeter ceteros lectiones perquirere et investigare utile duxissem. Equidem, ubi primum id mihi sumpsi ut Horatii opera ad optimorum exemplarium fidem ederem, aliquid etiam novi, quod ad Horatianorum codicum notitiam attineret, in medium afferre statui. Quapropter, cum multis primum negotiis distentus, deinde affectus valetudine Florentiam proficisci non possem, ut antiquissimum Horatii codicem quondam a Francisco Petrarcha emptum magnique habitum in bibliotheca Laurentiana expenderem, conferrem, describerem, Petrum Rasi, virum litterarum latinarum peritissimum meique amantissimum oravi, ut ex vetusto libro Laurentiano, quae potissimum lectiones cum Horatio meo concinerent aut ab eo discreparent, excerperet. Qua quidem in re collega meus tanta erga me benevolentia tantaque cura et diligentia versatus est, ut maximas ei gratias et agere et habere debeam. Itaque et Epistulam, quam rescripsit, et lectiones, quas ex Laurentiano codice selectas ac suis animadversionibus instructas mihi amicus humanissimus

misit, ante vestros oculos protinus proponam. Valete.

Haec scripsi Messanae mense Aprili an. MDCCCXCII.

Petrus Rasi Hectori Stampini S. D.

Quod mihi negotium mandasti ut codicem Horatii nobilissimum, qui in hac Bibliotheca Laurentiana tamquam κειμήλιον asservatur, excuterem variasque et eas praecipuas lectiones, quae cum Horatio tuo aut congruerent aut discreparent, excerperem ad teque mitterem, duabus id maxime de causis mihi iucundissimum fuit: primum quod summopere gaudebam aliquid me tibi gratum facere posse, deinde quod librum Horatianum manu scriptum vetustissimum eundemque, ut et aliorum et mea fert sententia, cum maximi pretii tum optimae notae propius inspiciendi et diligentius conferendi perscrutandique prae-

claram mihi occasionem praebuisti. Cuius codicis accuratissimam descriptionem atque uberrimam reperias apud Angelum Mar. Bandini (*Cat. Codd. Latt. Bibl. Med. Laur.* T. II col. 143 seqq.), sic ut pauca etiam adici posse videantur. Verum cum de codicis ipsius aetate non satis constet inter viros doctos, hac quaestione ad extremam epistulae partem reiecta, nunc alia, quae ad librum describendum pertinent, pro viribus expedire ac summatim breviterque exponere studebo.

Hic codex membranaceus (0,181 × 0,261), numero Plut. XXXIV, 1 insignitus, constat ex foliis manu scriptis CXL, praeter folia quattuor, quorum duo in principio, duo autem in fine custodiae codicis, ut vulgo dicitur, inserviunt: non recte autem foliorum CXLI librum esse tradit Bandini, quippe qui paginam quoque, in qua eorum, qui librum alii aliis aetatibus possederunt, nomina inscripta sunt, annumeraverit. Hic vero liber omnia et ea integra Horatii opera hoc ordine complexus est: Primum post *vitas* Horatii tres (f. 1^r) sequuntur *Carminum* libri quattuor (ff. 1^v-56^r); deinde carmina excipit Epistula ad Pi-

sones *de arte poetica* (ff. 56r-64v); tum descriptus est *Epodon* liber (ff. 65r-76v); tum *Carmen Saeculare* (ff. 76v-78r); tum *Epistularum* libri duo (ff. 78r-104r); postremo *Satirarum* libri duo, qui foliis 104r-140v comprehenduntur. Sed haec fere animadvertenda: Epod. lib. carmen II in partes duas dividitur, quarum altera usque ad versum 22 pertinet, altera a versu 23 *Libet iacere* cett. incipit, hac rubrica praescripta: « *Introducit quendam feneratorem loquentem et laudantem vitam quietam* cett. »; idem dicendum de carmine IX, cuius pars altera post verba inscripta: « *De fuga Antonii* » incipit a v. 27 *Terra marique* cett. Quae eadem observanda sunt in Epist. et Satirar. libris: nam Ep. I, 15 sic divisa est, ut una pars versibus prioribus quinque et viginti contineatur, altera post inscriptionem: « *Ad Moenium scurram* » a v. 26 *Moenius*, *ut rebus* cett incipiat; itemque Epist. II, 2 ex duabus partibus constat, quarum prior usque ad v. 108 pertinet, posterior cum indice: « *Lex poematis* » a v. 109 *At qui legitimum* cett. incipit; in Satirar. quoque libris carminum divisio sic variata est, ut

Satt. I, 2. II, 2. II, 3 in binas partes distributae sint, quarum singulae quaeque partes posteriores a v. 86 *Regibus hic mos* cett., a v. 53 *Sordidus a tenui* cett., a v. 168 *Servius Oppdius* cett. initium capiant; in primo autem sermone nulla inter duas partes, quae ex divisione fiunt, exstat inscriptio; in secundo haec est rubrica: « *Corripit sordidos sub Offelli nomine* »; in tertio denique haec: « *Contra ambitiosos et avaros ecloga V* ».

Sed haec hactenus. Nunc ut ad alia pergam, id quasi praeteriens (nam hoc profecto ad criticam librorum iudicandi existimandique rationem non multum attinet) animadverto, codicem ipsum, de quo quaerimus, ideo multo pluris aestimandum, quod hunc Francisci Petrarchae fuisse, cum ex adnotatiunculis nonnullis ad codicis marginem eius ipsius manu ascriptis, tum ex eius subscriptione, quae in codicis principio legitur, luculenter apparet: quin vero haec omnia Petrarchae manu exarata essent dubitari non posse, Petrum ipsum de Nolhac, ut de aliis taceam, affirmasse, auctor mihi fuit locupletissimus Guido Biagi, huius Bibliothecae Laurentianae

Praefectus idemque et doctrina et humanitate vir praeclarissimus.

Litteras grandes non fere reperias nisi in versuum et inscriptionum initiis ac *nonnumquam* in ipsis inscriptionibus totis (quae more usitato rubro colore sunt expressae): nam minus recte docet Bandini « titulos carminum et argumenta rubrica *plerumque* litteris capitalibus esse exarata », quae contra *plerumque* litteris minutis scripta sunt.

Qui vero librum transcripsit, eundem esse cuius manui etiam glossas et margini ascriptas et versibus interpositas debemus, in promptu est idque Bandini ipse confirmat: alii tamen, et ii non eiusdem aetatis, adnotiones atque interpretationes suas addiderunt. Codex autem ipse mirifice servatus, nitide exaratus, emendate descriptus est. Hunc vero optimae notae esse et a purissimo fonte derivatum, ex hoc maxime colligi potest quod cum iis codicibus Horatianis, qui in optimorum numero habentur, plerumque congruit: adeo ut ab Horatio tuo (quo in edendo veri simillimas fere semper, ut mihi quidem videris, recepisti lectiones et ab argutis captio-

sisque coniecturis atque hariolationibus, ingenii speciminibus et opinionum commentis, quibus saepius scriptores potius corrumpi quam corrigi videntur, recte abstinuisti) sic raro recedat, ut quas tibi excerpsi lectiones (praecipuas intellego, nam *de minimis*, ut aiunt, *non curat praetor*) consensus potius quam discrepantiae exempla maximam partem habenda sint.

Quod denique ad codicis aetatem spectat, Angelus Mar. Bandini hunc saeculi XII esse scribit (*l. adl.*), sed Nicolaus Anziani, qui Bibl. Laur. Praefectus fuit, ibidem margini haec verba plumbo ascripsit: « Pluribus indiciis actus hunc codicem potius ad XI quam ad XII saeculum spectare crederem. » Aemilius autem Chatelain (*Paléogr. des Class. Lat.* Sixième Livr. *Horace.* Paris, 1888) pag. 26 eundem ad saeculum X referri iubet. Quid plura? Ferd. Hauthal, qui primus post Bandin. descriptionem hunc cod. indicavit et in virorum doctorum notitiam pertulit (cfr. eius *Schol. Acr. et Porph.* Ber. 1864, I, in *Add. et Corrig.* p. III) eum saeculo XI tribuit. Quid facerem? In tanta sententiarum varietate

virum adii cum eruditissimum tum priscarum litterarum longe peritissimum, Caesarem dico Paoli, qui qua semper fuit humanitate mihi haesitanti ac dubitanti benevole satisfecit. Eius verba ipsa magis ad rem pertinentia, quae mecum per litteras communicavit, pretium est operae huc referre. Cum enim codicem hunc saeculo XI atque adeo primis huius saeculi annis recentiorem esse negavisset, et eundem cum aliis duobus Bibliothecae Laur. codicibus, quorum alterum (*Ashb. 50. Coll. fior. tav. 31*) ante annum DCCCXCV, alterum (*Pl. XIX, 34. Coll. fior. tav. 42*) medio saeculo XI scriptum constat, in contentionis comparationisque iudicium vocasset, haec monuit: « Se io non m' inganno, il cod. di Orazio, pei caratteri grafici, sta in mezzo ai due citati. Ha del primo la limpidezza e la semplicità, del secondo la forma solida e regolare. Se non che, rispetto al primo, apparisce più moderno per la mancanza di ogni traccia di corsivo, per essere la scrittura sua delineata con quei *gleichmässigen, kräftigen Zügen* che sono (secondo Th. Sickel, *Privil. Otto* I, p. 10) caratteristici delle scrit-

ture del X secolo: rispetto al secondo, si rivela un carattere di maggiore antichità nelle iniziali rosse e anche nelle piccole capitali di alcune rubriche, non che in certi affusamenti d'aste, che ci richiamano spesso al primo periodo della scrittura carolina. »

Quibus indiciis rationibusque adductus non dubitat vir doctissimus codicem saeculo X ascribere: sed haec non temere addit: « Ma poichè le tradizioni di un'arte e i caratteri di una scuola durano oltre l'epoca in cui primamente si palesano, sarà prudente non escludere che il cod. possa essere scritto anche nella prima metà del sec. XI. »

Nemo, quantum scio, codicem contulit, nam quae in codicis principio leguntur « *Contuli mense februario MDCCXXI Ant. Cocchius* » non laboro; certo autem scio, in nulla Horatii operum editione critica quae dicitur (ne Keller-Holderiana quidem et Muelleriana exceptis), eius factam esse mentionem: quod permirum sane videtur cum iampridem Ferd. Hauthal (op. adl. p. II) hunc « in praestantioribus Horatii codicibus » annumeraverit.

Utrum codex hic idem sit habendus atque

is quem intellexerunt Reifferscheid, Detlefsen, Th. Mommsen cum adfirmarunt (ut est auctor O. Keller *Q. Hor. Fl. Opera* Lips. 1864, I, p. XII) « in Italia praeter *unum* undecimi saeculi codicem nullos sese invenisse antiquiores libros Horatianos », utrum, inquam, hic codex idem sit necne, fateor me nescire; sed illud manifestum est, in hac re vehementissime errasse viros clarissimos: nam, ut de alio Horatii codice saec. XI, qui in hac ipsa Bibl. Laur. servatur (de quo cfr. Hauthal l. adl. p. III) taceam, duo alii exstant in Italia Horatii codices vetustissimi, *Reginensem* dico Bibl. Vat. 1703 (sive *Wissemburgensem* sive *Suecovaticanum*, saec. IX [cfr. Chatelain l. adl. p. 26] vel saec. X [cfr. Hauthal l. adl. p. III]) et *Ambrosianum* O, 136 *sup.* (saec. IX, cfr. Chatelain l. adl. p. 24), qui est omnium Horatii codicum, qui quidem in Italia serventur, antiquissimus (cfr. Hauthal l. adl. p. II).

Postremo facere non possum quin profitear, maximas me debere gratias (et maximam equidem gratiam habeo) Henrico Rostagno, qui huius Bibl. Laur. libris manu scriptis conservandis praepositus est, qui et opera et

consiliis quantum mihi profuerit, vix dici potest.

En tibi, dulcissime rerum, quae fere de hoc Horatii codice habui dicere: quae quidem tibi arridere velim doliturus si placeant spe deterius mea. Accipe etiam, quas addo quasque ipse mihi indicasti, codicis varias lectiones: qui tandem sit « longae finis chartaeque viaeque ». Vale.

D. Florentia mense Aprili.

Carm. I, 1, 6. evehit] euehit — 13. demoveas] dimoveas — 35. inseres] inseres

I, 2, 2. rubente] rubente — 10. columbis] columbis — 21. acuisse] accuisse (*sic; sed prius* c. *expunct.*) — 39. Mauri] mauri

I, 3, 6. Vergilium] uirgilium — 18. siccis] siccis — 19. turbidum] turbidum — 22. dissociabili] dissociabili — 35. Pinnis] Pinnis — 37. ardui est] arduum est (m *expunct. et ex poster.* u *factum* i *a manu recent.*; *in marg. scriptum legitur* ardui)

I, 4, 8. Volcanus] Uulcanus — urit] urit (*si non totum verbum, at certe* ri *videtur esse in ras.*)

I, 5, 8. Emirabitur] Emirabitur

I, 6, 2. alite] alite — 3. Quam rem] Quā rem — 7. duplicis] duplices — 18. Sectis] Sectis

I, 7, 5. urbem] urbē — 7. decerptam fronti] decerptā fronti — 11. Larisae] larissae (1) — 17. Perpetuo] Perpetuos — 27-28. Teucro duce et auspice Teucro: Certus] teucro duce et auspice teucri (*sic*). Certus

I, 8, 2. Te deos oro] Hoc deos oro (oro *in ras.*; *supra* oro *scriptum* al. uere, *supra* hoc *scriptum* te *a recentioribus et iis aliis manibus*) — properes] properes — 6. equitet] equitet — 7. Temperet] Temperet

I, 9, 7. Deprome] Deprome — 14. fors] fors

I, 11, 5. Quae] Quae

I, 12, 13. parentis] parentis — 15. ac terras] ac terras — 20, 21. Pallas honores, Proeliis audax: neque te] Pallas honores. Proeliis audax neq.te (*supra scriptum in gloss.*: nimia enim vini potatio lites generat et audaciam) — 31. quod sic voluere,] quod sic voluere. (*supra* quod *ab alia m. script.* quia) — 36. letum] loetum (*sic*) — 41. incomptis] incomptis — 43. Saeva] Saeua — 43. apto] apto — 46. Marcelli] marcelli — 57. latum] laetum (*supra script. ab alia m.* al. latum)

---

(1) Diphthongus *ae* itemque syllabae quae sunt *per*, *pro*, *um*, cett. per compendia in codice numquam fere non scribuntur: sed, huiusmodi litterarum notis officina typographica carente, syllabas integras edi patiendum fuit.

Praeterea id est animadvertendum, (quod est etiam, praeter cetera, non obscurum antiquitatis indicium), verba libri manu scripti una semper interpunctionis nota, i. e. puncto, si interrogationis signum exceperis, distingui: quae hic ego observata volui, cum in epistula, quam de codice scripsi, id facere non iam mihi liceret.

I, 13, 2. cerea] caerea (*sic*) — 6. manent] manent — 16. Quinta] Quinta — 19. Divulsus] Diuulsus

I, 14, 6. gemant] gemant — 8. Possint] Possint — 10. pressa] pressa

I, 15, 2. Helenen] helenen — 5. Nereus] Nereus — 20. Crines] Crines (*supra script.*: al. cultus — 21. exitium] exitium — 22. Gentis] Gentis — 24. Teucer, te] Teucer. et (*post* Teucer *exstat distinctionis signum*; et *expunct. et supra script.* te *a m. recent.*) — 36. Iliacas] iliacas

I, 16, 8. Sic] Sic — 14. coactus] coactus

I, 17, 5. tutum] tutum — 9. Haedillae] hedilla (a *in ras.*) — 14. Hinc tibi] hinc tibi

I, 18, 5. crepat] crepat (*in gloss. supra script.* accusat increpat *a recentior. et iis aliis manibus*) — 7. Ac] Ac — 15. Et tollens] Et tollens

I, 19, 2. iubet] iubet — Semelae] semele (*sic*) — 14. turaque] turaq.

I, 20, 5. Care] Kare — 10. Tu bibes] Tu bibes

I, 21, 5. coma] coma — 8. Gragi] gragi — 13. Hic] Hic — hic] hic — 14. et principe Caesare in] et |||| principe caesare in [*ante* principe *extat rasura, ubi scriptum legebatur* a; in *adiectum a manu multo poster.*)

I, 22, 2. Mauris] mauris — 11. expeditis] expeditis — 14. Daunias] Daunias — 18. aura] aura

I, 23, 1. Vitas inuleo] Uitat inuleo — 5. veris] ueris — 6. Adventus] Aduentus

I, 24, 8. inveniet] inueniet — 10. Vergili] uirgili

I, 25, 2. Iactibus] Iactibus (*supra script. in gloss.*: inctib; lapidum.) — 7. longas] longas — noctes] noctes — 20. Hebro] hebro

I, 26, 9. Piplea] Piplea — 10. Prosunt] Prosunt

I, 27, 13. voluntas] uoluntas — 19. laborabas Charybdi] laboras in charibdi (*sic*; in *adiectum a manu recentiore*).

I, 28, 3. litus] littus — 5. Aerias] Aerias — 15. nox] nox (*in ras.*; *supra script.*: al. mors) — 18. avidum] auidum — 19. densentur] densentur — 21. rapidus] rapidus — 31-32. Forset-Debita] fors-Et debita (*sic*; *id est* et *in versu* 32).

I, 29, 4. horribilique] horribiliq. — 13. nobilis] nobilis.

I, 31, 9. Calena] calena. — 10. et] et (*in ras.*; *supra script.*: al. ut) — 15. pascunt] pascunt — 18. at] at

I, 32, 1. Poscimur. Siquid vacui sub umbra] Poscimus siquid vacui sub umbra — 15. mihi cumque] mihi cumq.

I, 34, 5. relictos] relictos

I, 35, 14. frequens] frequens — 17. saeva] serua 29. ultimos] ultimos — 30. Orbis] Orbis — 36. Liquimus] Liquimus — 39. diffingas retusum] difingas retusum

I, 37, 10. Morbo virorum] Morbo uirorum — 24. reparavit] reparauit — 25. iacentem] iacentē — 28. Corpore] Corpore

I, 38, 6. Sedulus, curo:] Sedulus curo.

II, 1, 5. uncta] uncta — 12. coturno] coturno — 16. Delmatico] Dalmatico — 21. Audire] Audire — 33. Qui gurges] Qui gurges

II, 2, 5. Vivet] Uiuet — 7. aget pinna] aget penna — 11. Poenus] poenus — 17. Prahaten] prahaten — 18. plebi] plebis

II, 3, 2. in bonis] in bonis — 9. Quo] Quo — 11. Quid] quo

II, 5, 12. Purpureo varius colore] Purpureo varius colore — 14. quos] quos

II, 6, 5. Argeo] argeo (*supra script.* vel argivo) — 7. modus] modus — 18. amicus] amicus — 19. Fertili] Fertili

II, 8, 1. peierati] peierati — 2. Barine] uarine

II, 9, 6. Menses per omnis] menses per oms̄ — 22. vertices] uertices

II, 10, 18. cithara] cythara

II, 11, 2. Quincti] quinti — 23. in comptum] in comptum — 24 comas religata nodum] comas religata nodum

II, 12, 2. durum] durum — 12. minacium] minatium (*sic*; *signum omissi* n *non adparet*) — 25. Cum] Cum — 28. occupet] occupet

II, 13, 1. Ille et nefasto] Ille et nefasto — 15. Poenus] Poenus — 16. timet] timet — 23. discriptas] descriptas — 38. laborem] laborum

II, 14, 14. rauci] rauci — 27. superbo] superbo

II, 15, 10. ictus] ictus

II, 16, 1. patenti] patenti — 22. relinquit] relinquit

II, 17, 14. Gigas] gigas — 19. Natalis] Natalis — 25. cum] cum (c *in ras.*)

II, 18, 8. clientae] clientes (es *in ras.*) — 30. Rapacis Orci fine destinata] Rapacis orci fine destinata — 36. Revexit] Reuexit

II, 19, 9. est mihi Thyiadas] est mihi thyadas

II, 20, 1. usitata] usitata — 2. Pinna] Penna —

6. quem vocas] quē vocas — 11. Superne] Superne — 13. ocior] ocior

III, 1, 17. Destrictus] Destrictus — 39. triremi et] triremi. — 43. Falerna] falernae — 44. Vitis] Uites

III, 2, 1. amice] amice — 16. timidove] timido ue (*sic*) — 27. Vulgarit] Uulgauit — 28. fragilemque] fragilemq;

III, 3, 10. Enisus] Innisus — 12. bibet] bibet — 21. ex quo] ex quo — 23. damnatum] dampnatum — 34. ducere] ducere (*supra script.* al. discere) — 54. tanget] tanget — 66. Auctore] Auctore — 69. conveniet] conueniet

III, 4, 4. citharave] cythara ue (*sic*) — 9. Apulo] apulo — 10. Nutricis extra limen Apuliae] Nutricis extra limen apuliae — 31. urentis] urentes — 38. Fessas cohortes addidit] Fessas cohortes abdidit (b *videtur esse in ras.*) — 43. turbam] turbam — 47. turmas] turmas — 59. Volcanus] Uulcanus — 69. Gigas] gigas — 78. Reliquit] Reliquit

III, 5, 8. armis] armis — 15. exemplo trahentis] exemplo trahentis — 17. periret immiserabilis] periret immiserabilis — 25. Auro repensus] Auro repensus — 36. mortem.] mortem. — 37. Hic, unde vitam sumeret inscius,] Hic unde vitam sumeret inscius. — 51. propinquos] propinquos (*supra scriptum ab alia manu*: al. amicos)

III. 6, 10. Non auspicatos] Inauspicatos (*supra scriptum*: al n̄ auspicatos) — 11. Nostros] Nrōs — 22. Matura] Matura — fingitur artibus] fingitur artibus (*sub* i *in* artibus *scriptum ab alia manu* u) — 27. impermissa] inpermissa — 30. seu] seu — 36. dirum] dirum

III, 7, 4. fide] fidei — 20. monet] monet — 30. Sub cantu] Sub cantu

III, 8, 5. sermones] sermonis — 10. demovebit] dimouebit — 14. Sospitis] Sospitis — 19. infestus sibi luctuosis] infestus sibi luctuosis — 27. cape laetus horae ac] cape laetus horae

III, 9, 5. alia] alia — 9. regit] regit

III, 10, 1. Tanain] tanain — 6. satum] satum (*in marg.*: al. situm) — 18. animum] animo

III, 11, 18. caput eius atque] caput eius. atq; — 50. i secundo] i secundo — 52. Scalpe] Scalpe (*supra in gloss.* cela (*sic*) sculpe)

III, 12, 11. arto] alto

III, 13, 1. Bandusiae, splendidior] bandusiae splendidior — 16. Lymphae] Lymphae

III, 14, 6. iustis operata divis] iustis operata |||| diuis (*post* operata *exstat rasura*; *post rasuram ab alia* (?) *manu scriptum legitur* diuis) — 7. clari] clari — 11. maleominatis] male ominatis (*inter* e *et* o *supra scriptum ab alia manu* n) — 14. Eximet] Eximet — 22. Murreum nodo cohibere] Murreum nodo cohibere

III, 15, 2. fige] fige (*supra script.*: al. pone) — 16. vetulam] vetula

III, 16, 13. Demersa exitio] Demersa exitio — 31. Fulgentem] Fulgentem — 39. Contracto] Contracto

III, 17, 4. fastos] fastos — 5. ducis] ducis — 13. potis] potes (*supra script.*: vel potis) — 15. porco] porco

III, 18, 7. craterae] craterae — 12. pagus] pagus

III, 19, 4. sacro] sacro — 12. Miscentur] Miscentur — 27. petit Rhode] petit rhode

III, 20, 3. post paulo] post paulo — 7-8. cedat,

Maior an illa.] cedat Maior an illi? — 15. Nireus] nereus

III, 21, 10. negleget] negleget — 12. caluisse] caluisse

III, 23, 12. secures] secures — 19. Mollivit] Mollibit

III, 24, 4. Tyrrhenum] Tyrrhenum — mare Apulicum] mare ponticum (*in marg. infer. script.*: al. publicum al. apulicum) — 7. animum] animum — 24. pretium est mori] p̄tium ē mori — 39. solo] solo — 52. Pravi] Praui — 60. hospites] hospites

III, 25, 2. Quae nemora aut quos] quae nemora aut quos — 6. consilio] consilio — 9. Exsomnis] Exsomnis — 12. ut mihi] ut mihi

III, 26, 1. puellis] puellis — 7. et arcus] et arcus — 9. tenes] tenes

III, 27, 4. Fetaque] Foetaq; — 7. cui] quid — 15. vetet] uetet — 23. trementis] trementes — 38. culpae] culpae — 48. monstri] tauri — 57. Europe, pater] europae pater — 59-60. secuta Laedere] secuta Laedere — 69. abstineto] abstineto

III, 28, 11. Tu] Tu

III, 29, 6. Ne] Ne — Aefulae] efulae — 22. horridi] horridi — 34. alveo] alueo (*supra script. a m. post.*: vel aequore) — 54. Pinnas] Pennas — 60. Tyriaeque] tyriaeq; — 64. feret] ferat (*supra* a *script.* e *ab alia m.*)

III, 30, 12. Regnavit] Regnator (tor *in ras.*)

IIII, 1, 9. in domum] in domo (*supra script.* al. in domum) — 17. Et, quandoque] Et quando (*ante* quando *ab alia manu adiectum* si) — 18. Largi] Largis (s *videtur adiectum a m. post.*) — 20. citrea] cytrea — 22. lyraeque et Berecyntiae] lyraeq; et berecynthiae (*supra* lyraeq;

ab alia m. script. al. lira (*sic*)) — 23. tibiae] tibiae (*supra script ab alia m.*: al. tibia)

IIII, 2, 2. Iule] Iuli (*in carm. inscriptione est:* Ad antonium iulium....; *in marg. infer. leg.*: ad iulium antonium) — 3. pinnis] pennis — 6. Quem... aluere] Quem... aluere — 31. ripas] ripas — 33. Concines] Concines — 45. loquar] loquar — 49. Tuque dum procedis] Teq; dum procedis — 58. ortum] ortū — 59. duxit] duxit

IIII, 3, 10. praefluunt] p̄fluunt

IIII, 4, 15. Iam lacte depulsum] Iam lacte depulsum — 17. Raeti] rhaetii (*sic*) — 18. gerentem Vindelici] gerentem uindelici — 24. revictae] reuictae — 29. fortibus et bonis;] fortib; et bonis. — 36. Indecorant] Dedecorant — 43. vel Eurus] ut Eurus — 65. evenit] euenit — 66. proruet] proruet — 67. geretque] geretq; — 73. perficient] perficient

IIII, 5, 4. concilio] concilio — 7. it] it — 17. rura perambulat] rura perambulat — 18. Nutrit rura] Nutrit rura — 31. redit] redit — 34. Defuso] Diffuso (*in marg.*: al. defuso) — 37. dux] dux

IIII, 6, 17. captis] captis — 21. victus] uictus (*supra in gloss.*: flexus.) — 25. argutae] argutae — 38. Noctilucam] noctiluca.

IIII, 7, 15. Quo pius Aeneas, quo Tullus dives et Ancus] Quo pius aeneas. quo tullus diues. et ancus. (*supra* pius *script.* al. pat̄.) — 17. summae] uitae (*totum verbum videtur esse in ras.*) — 19. avidas] auidas

IIII, 8, 1. commodus] commodis (is *in ras*) — 9. non tibi] non tibi — 12. muneri] muneri — 15. celeres fugae] celeres fugae — 34. ducit] duc̄ (c̄ *in ras.*)

IIII, 9, 31. sileri] silebo (bo *in ras.*) — 41. utili]

utili. — 52. perire] periret (*sic*; t *expunct.*; *supra script.*: al. peribit)

IIII, 10, 2. pluma] pluma — 5. Ligurinum] ligurinum — 6. te speculo] te speculo

IIII, 11, 11. trepidant] trepidant — 35. minuentur] minuentur

IIII, 12, 11. Delectantque] Delectante — nigri] nigri — 13. Vergilii] uirgili — 16. merebere] merebere (*supra script in gloss*: pro mereberis)

IIII, 13, 11, Dentes te, quia] Dentes. te quia — 14. cari] clari — 28. Dilapsam in cineres] Delapsam in cineres

IIII, 14, 4. fastus] fastus (*supra* u *ab alia manu script.* o) — 19. fatigaret] fatigaret — 20. Indomitas] Indomitas — 24. per ignis] per ignes — 26. Qui] Qui — praefluit] prefluit (*sic*) — 28. meditatur] minitatur (in *videtur esse in ras.*) — 32. humum] humum — 46. Hister] hister — 49. paventis] pauentes

IIII, 15, 7. Derepta] Direpta — 8. vacuum duellis] uacuum duellis — 9. Quirini] quirini — 10. evaganti] et vaganti — 15. ortus] ortus — 21. Danuvium] danubium.

Epod. I, 6. si] si — 10. Qua] Quē (ē *in ras. a m. sec.*) — 15. labore] laborem — 26. meis] meis

II, 27. Fontesque] Fontesq;

III, 20. Iocose] Iocose

IIII, 8. bis trium] bis ter

V, 37. Exsecta] Exsucta (*m. sec. supra* u *scripsit* e) — 55. Formidolosis] Formidolosae — 58. Suburanae] suburanae — 65. imbutum, novam] infectum nouam — 87-88. Venena magnum fas nefasque non valent Con-

vertere humanam vicem] Uenena magnum fas nefasq; non ualent Conuertere humanam uicem

VI, 4. petis] petis

VII, 12. Numquam] Umquam — 13. caecus] caecus — 15. ora pallor albus] albus ora pallor

VIII, 17. minus] minus — 18. Minusve] Minusue

VIIII, 5. mixtum] mixtum — 17. Ad hunc] Ad hunc

X, 19. sinus] sinus — 20. Noto] Nothus (*sequitur* rapuerit *pro eo quod est* ruperit) — 22. iuveris] iuuerit

XI, 16. ventis] uentis — 24. mollitia] mollitia

XIII, 3. amici] amici — 13. parvi] parui

XIIII, 14. obsessam] obsessam

XV, 15. offensae] offensae

XVI, 12. Eques] Eques — 14. videre] uideri — 15. quod expediat] quid expediat — 33. ravos] flauos

XVII, 5. Refixa] Refixa — 11. Unxere] Luxere — 22. ossa] ossa — 33. Virens] Uirens — 39. iuvencos] iuuencos — 42. vicem] uice — 50. Pactumeius] pactum eius (*sic*) — 64. doloribus] laboribus — 72. nectes] nectes — 81. exitus] exitus

Carm. saec. 26. stabilisque rerum] stabilisq; rerum — 27. Terminus servet] Terminus seruet — 49. Quaeque] Quaeq; — 51. Impetret] Impetret — 65. arces] arces — 68. Prorogat] Proroget — 71. Curat] Curat — 72. Applicat] Applicet (*supra* e *scriptum* a *a m. sec.*)

Serm. I, 1, 2. fors] fors — 8. Momento cita] Momento cita — 38. sapiens] patiens — 59. tantuli] tantulo — quanto] quanto — 63. miserum] miserum — 81. adfixit] affiixit — 92. cumque] cumq; — 101. Naevius] neuius — 108. nemo ut] nemon ut

I, 2, 6. propellere] propellere — 12. Fufidius] Fufidius — 25. Maltinus] Malchinus — 33. taetra] tetra — 38. moechis] maechis — 45. quidam] quidam — 46. Demeteret] Demeteret — 63. peccesne] peccesue — 68. muttonis... videnti] muttonis... uidenti — 78. matronas sectarier] sectarier matronas (er *expunct.*) — 81. (Sit licet hoc, Cerinthe, tuum)] Sit licet hoc cerinthe tuum — 90. Lyncei] lynceis — 101. Cois] cois — 110. pelli] pelli — 129. vae! pallida] ue. pallida

I, 3, 7. Bacchae] bache (*sic*) — 9. velut qui] uelut qui — 25. pervideas... mala] peruideas... mala — 34. corpore] corpore — 57. illi] illi — 58. Tardo cognomen] Tardo cognomen — 60. versetur] uersetur — 91. tritum] tritum — 107. taeterrima] teterrima — 128. Qui?] Quo? — 132. Sutor erat] Sutor erat

I, 4, 14. minimo] minimo — 15. Accipe iam] Accipiam iam (*sic*) — 25. elige] elige — 30. tepet] tepet — 33. poetas] poetas — 39. poetas] poetas — 52. Numqui] num qui — 70. sim] sim — 87. unus avet] unus auet — 93. siquae] siquae — 109. utque] utq; — 110. Baius] Baius — 124. factu] factum — 141. veniat] ueniat

I, 5, 1. accepit] accepit — 3. longe] longe — 7. deterrima] deterrima — 36. vatillum] uatillum — 39. Postera] Postera — 40. Vergiliusque] uirgiliusq; — 51. Caudi] claudi — 60. minitaris] miniteris — 64. coturnis] coturnis — 67. Nilo deterius] Deterius nichilo (*sic*) — 74. Volcano] Uulcano — 93. hinc] hinc — 104. est] ē

I, 6, 4. imperitarent] imperitarint — 29. hic? et] hic ē-? — 30. haberi] haberi — 31. Ut cupiat] Et cupiat — 35. delubra] delubra — 43. funera, magna] funera magna (*interp. abr.*) — 47. sim] sim — 49. forsit] forsit —

53. possim] possim — 54. mihi te] mihi te — 55. Vergilius] Uirgilius — 68. ac mala] ac mala — 87. at hoc] ad hoc — 102. rusve peregreve] rusue peregreue aut (*sic*) — 111. Milibus] Milibus — 126. fugio campum lusumque trigonem] fugio rapidosi tempora signi — 131. fuisset] fuissent

I, 7, 7. tumidus] tumidusq· — 11. adversum] aduersum — 15. vexet] uexet — 20. Compositum] Compositus — 28. multoque] multoq; — 34. consueris] consueris

I, 8, 9. vili] uili — 19. versant] uersant — 29. Manis] Manes — 32. ut quae] ut quae — 38. veniat] ueniat — 41. resonarent] resonarent

I, 9, 3. Adcurrit] Accurrit — 16. Persequar] Persequar (*manus eadem, ut videtur, correx.* prosequar) — 30. divina mota] diuina mota — 36. vadato] uadato — 48. vivimus] uiuimus — 60. agit] agit (it *in ras.*) — 64. prensare] pressare (*prius* s *in ras.*) — 69. vin tu] uin tu

I, 10. *Versus* 1-8 « Lucili... illuc » *desunt in hoc codice, in quo haec satira sic incipit*: « Nempe incōposito *cett.* ». — 2. inepte] inepte — 13. urbani] urbani — 27. oblitus] oblitus — patrisque Latini] patrisq; latini — 28. Poplicola] publicola — 31. Atque ego] Atq; ego — 39. spectanda] spectanda — 45. Vergilio] Uirgilio — 68. dilatus] dilatus — 81. Vergiliusque] uirgiliusq; — 86. Bibule] bibuli

II, 1, 1. satira videar] satyra uidear — 10. rapit] rapit — 15. describat] describat — 20. recalcitrat] recalcitrat — 23. Cum sibi] Cum sibi — 37. Quo ne] Quo ne — 45. commorit] commorit — 54-55. (mirum, Ut]

.mirum. Ut — 59. iusserit] iusserit — 69. tributim] tributim — 79. diffingere] diffindere — 84. laudatus] laudatur — 85. latraverit] latraverit (laceraverit *in gloss.*) — 86. risu] risu

II, 2, 1. boni] bonis (s *adiectum videtur a manu sec. etiam ob id quod in gloss. est* boni) — 3. abnormis] abnormis — 14. extuderit] extuderit — 28. honor] honor — 29. hac magis illam] hac magis illa (*in marg.* illam) — 30. te petere] te patet (*in ras.*; *in marg. est* petere) — 38. raro] raro — 48. aequor alebat] equora (*sic*) alebant — 55. pravum] prauum — 56. ductum] ductum — 64. aiunt] aiunt — 65. qua] qui — 79. adfigit] affigit — 84. ubique] ubiq; — 95. Occupet] Occupet — 99. Trausius] trausius (*supra scriptum* trauius) — 123. culpa] culpa — 134. Dictus, erit nulli] Dictus erat. nulli (*manus poster. scripsit in* erit a *pro* i, *quod perspicuo exhibet codex, et interpunxit.*) — 134. cedet] cedet (*manus sec. diphthongi signum priori* e *adiecit*).

II, 3, 1. Si raro scribis] Si raro scribis (*primum* i *in ras.*; *supra* scribis *scriptum* scribes, *et etiam supra posterius* i *in* scribis *ab alia manu scriptum* e). — 4. At ipsis] ab ipsis — 12. Archilochum] archilochum — 13. paras] paras — 30. Ut lethargicus hic cum fit] Ut lethargicus hic. cum fit — 39. angit] angit (*a m. sec. supra scriptum* urget) — 43. stultitia et] stultitia et — 72. in ius] in iura (*sic; in marg. inf. script. leg.* in ius) — 75. Perelli] pelli (*sic a* m^1; perelli *a* m^2; *in marg.* al. perilli) — 93. periret] periret (*in marg.* al. perisse|||) — 96. construxerit] construxerit — 112. Porrectus] Porrectus — 114. vescatur] uescatur (uesca *in ras.*) — 117. unde] unde — 119. putrescat] putre-

scat — 129. tuos] tuos — 132. Quid enim?] quid enī? — 139. sororem] sororem — 154. Ingens] Ingens — 163. temptentur] tēptentur — 166. barathrone] balathrone (*a manu*[1] baiathrone (?), *nam* i *non* r *in secunda syllaba ante scriptum fuisse videtur; in gloss.* gulae an baratro (*sic*)) — 174. vesania] insania — 183. Latus] Latus — 188. quaero] quaero — 191. reducere] reducere — 194. Putescit] Putescit (*a m. sec. supra scriptum* r *inter* t *et* e) — 201. servas? 'Quorsum?'] seruas? quorsum? — 208. veris scelerisque] veri scelerisq; — 212. admittis] admittis — 230. Quid tum? Venere] quid tum? uenere — 233. contra haec iuvenis] contra haec iuuenis — 235. verris] uellis (*in marg.* al. uerris) — 238. vocata] uocata — 240. absorberet] absorberet (*supra* ab *scriptum est ab alia manu* al. ex) — 246. Sani ut] sani ut — 262. Nec nunc] nec nunc — 263. dolores] dolores — 276. scrutare. Modo, inquam] scrutare. modo inquā — 283. Quid tam] quiddā — 301. Qua me stultitia] Qua me stultitia — 303. abscisum manibus] abscisum manibus (*supra* manibus *ab alia manu scriptum est* al. demens) — 313. Tantum] Tanto — 317. num tantum, sufflans se, magna fuisset?] num tandem sufflans si (*sic; supra* i *scriptum* e) magna fuisset? (*plurimae litterae in ras.; ante* magna *fortasse scriptum legebatur* se, *quia in marg. haec sunt*: « tandem sufflans se » — 318. Maior dimidio] Maior dimidio — 322. sanus fecit, sanus facis et tu] sanus fecit. sanus facis et tu (*in* fecit e *expunct.*; *supra* e *script. a m. sec. a*)

II, 4, 2. vincent] uincunt (*supra* u *exp. script.* e *a m. sec.*) — 10. simul et] simul et — 13. alba] alba — 15. Cole] Cole — 19. mixto] mixto — 36. Non prius] Non

prius (*supra* Non *scriptum* nisi) — 37. averrere] auerrere — 44. Fecundi] Fecundi (e *per diphth. script. a sec. m.*) — 48. Nequaquam satis in re una] Nequaquam satis in re una — 62. immundis] inmundis (*non admodum cohaeret* in *cum* mundis) — 66. putuit] potuit (*sic; at in marg. alia manus correxit* putuit) — 74. invenior] inueni (*supra script.* al. inuenior) — 78. movet] mouent — 79. furta] furta

II, 5, 1. Teresia] tiresia — 3. doloso] doloso — 36. quassa] quassa — 40. Infantis] Infantes — 48. Arrepe] Arrepe — ut et] ut et — 60. magnus mihi donat Apollo] magnus mihi donat Apollo — 79. Venit enim, magnum] Uenit enī magnum — 87. elabi si] elabi si — 90. offendet] offendet — 97. urge] urge — 100. quartae sit] quartae sit

II, 6, 10. fors quae] fors quae — illi] illi (*manus sec. ex post.* i *fecit* e) — 29. Quid vis, insane, et quas] Quid tibi uis insane? et quas (*sic*) — 44. Thraex] Thrax — 48. Invidiae noster. Ludos spectaverat] Invidiae. noster ludos spectauerat — 57. mirantur] mirantur — 58. egregii] egregii — 59. Perditur] Perditur — 78. Siquis nam] nam siquis — 83. neque ille] neq; ille — 108. verniliter] uernaliter — 109. praelambens] praelambens

II, 7, 15. cheragra] chiragra — 17. in phimum] infimum (*sic; manus sec. adiecit distinctionis signum* (:), *quanquam* in *et* fimum *non omnino cohaerent; supra et in margine scriptum legitur* al. pyrgum; *alio loco in marg. etiam* phimum) — 18. isdem] idem — 19. ac prior illo] acrior ille — 34. feret] fert — 35. fugisque] fugisq; — 61. Contractum genibus] Contractum geni-

bus — 78. Adde super, dictis quod] Adde superdictis (*sic*) quod — 81. alii] aliis (*sed* s *videtur a manu sec. adiectum* — 82. lignum] lignum — 83. sibi qui] sibi qui

II, 8, 2. quaerenti convivam] quaerenti conuiuam — here] here — 4. Da] dic — 5. placaverit] pacauerit — 22. quos] quos — 24. semel absorbere] semel absorbere — 29. passeris atque] passeris atq; — 53. quod] quod — remittat] remittat (*man. sec. supra* a *scripsit* e) — 82. dentur] dantur — 88. albi] albi — 94. velut illis] uelut illis — 95. Afris] atris (*supr. script.* al. afris)

Epist. I, 1, 16. mersor] mersor — 19. subiungere] subiungere — 21. Longa] Longa — 28. oculo] oculo — 30. Glyconis] glyconis — 31. cheragra] cheragra (*m. sec. supra* e *scripsit* i) — 32. quadam] quodam — 43. repulsam] repulsam — 44. labore] labore — 57-58. Est animus... Sed quadringentis... desunt] Sed quadringentis sex septem milia desunt. (*al.* desint) Est animus tibi. sunt mores. et lingua. fidesq; — 78. Crustis] Frustis — 94. curatus] curatus — 95. Occurri] Occurro

I, 2, 1. Maxime Lolli] maxime lolli (*Epistulae inscriptio haec est*: AD lollium) — 4. Planius] Planius — 5. distinet] destinet — 9. causam] causam — 10. Quid Paris?] Quod paris (*m. sec. corr.* o *in* i) — 31. cessatum ducere curam] cessatum ducere curam — 33. Atqui] atqui — 41. Vivendi qui recte] uiuendi qui recte — 46. contingit, nil] contingit nihil (nihil *a sec. m.*) — 52. podagram] podagram — 65. viam qua] viam. quam

I, 3, 4. turris] turris (*m. sec. supra* i *scripsit* e) — 10. haustus] haustus — 19. cornicula] cornicula — 30. sit] sit

I, 4, 9. Qui] Quin (*supra scriptum a m. sec.* al. quā) — 11. Et mundus victus] Et mundus uictus — crumina] crumena

I, 5, 1. Archiacis] archiacis — 4. palustris] palustres — 11. Aestivam] Aestivam — 16. dissignat] dissignat — 26. Butram] butram — 28. adsumam] ad summam.

I, 6, 1. prope res] prope res. (*est parva rasura inter duo verba, ut haec videantur inter se ante coaluisse; interpunctio est post* res) — 11. exterret utrumque] exterret utrumq; — 22. Mutus et] Mutus. et — 24. proferet] proferat — 35. quadrat] quadrat — 50. laevum] saeuum — 51. fodicet] fodiat — 59. transire] transire — populumque] populumq· — 63. Ulixei] ulixi — 68. si non] si non (non *in ras.*)

I, 7, 3. Si me vivere vis sanum recteque valentem] Si me uiuere uis recteque uidere ualentem (uis recteque uidere *in ras.*) — 5. calorque] colorque (*supra script.* al. calor) — 22. paratus] paratum — 29. vulpecula] uulpecula — 31. corpore] corpore — 40. patientis Ulixei] patientis ulixi — 41. Ithace] itacae — 51. purgantem] purgantem — 56. sine crimine, notum]. sine crimine notum. — 58. certo] certo — 73. Hic ubi] hic ubi — 75. et iam] etiam — 93. ponere] ponere (*supra ab alia manu* dicere) — 96. semel] simul

I, 8, 5. oleamque] oleamq; — 12. ventosus] uentosus

I, 10, 3. at cetera] ad cetera — 5. Adnuimus pariter: vetuli notique columbi] Annuimus pariter uetuli notiq; columbi. — 9. fertis] effertis (*in marg. ab alia manu*: al. fertis — 13. Ponendaeque domo] Ponendae-

que domo — 18. divellat] depellat (*supra ab eadem manu*: al. diuellat) — 19. lapillis] lapillis — 24. expelles] expellas (*supra* a *scriptum* e *ab alia manu*) — 25. fastidia] fastigia (g *in ras.*) — 37. victor violens] uictor uiolens — 40. vehet] uehet — 43. uret] uret

I, 11, 3. minorave] minoraue — 10. e terra] ex terra — 22. horam] oram (*in marg. ab eadem* (?) *manu*: al. horā) — 23. neu] neu

I, 12, 1. Agrippae] agrippae — 24. dest] deē — 27. Prahates] prachates (c *expunct. ab eadem, ut videtur, manu; supra* p *ab alia manu scriptum* f) — 29. defundit] defundit

I, 13. *Inscriptio huius epistulae haec est*: Ad uinnium asellum monet ut carmina caesari tradat. — 2. Vinni] uinni — 14. glomus] glomus (*ab alia manu supra* u *scriptum* o) — Pyrria] pyrria — 16. Ne] Ne — 18. nitere porro.] nitere porro. — 19. Vade, vale] Uade. uale

I, 14, 5. an res] an res — 9. amat] amat — 11. sors] sors — 19. nam, quae] nam qua (*a glossat. explic.* ubi; *supra scriptum ab alia manu*: al. quae: *etiam in* qua *alia manus corr. et scrips.* ae) — 23. tus] tus — 39-40. moventem. Cum servis urbana] mouentem. Cum seruis urbana — diaria] diaria (*ab alia manu supra script.* cibaria) — 43. bos piger, optat] bos piger. optat

I, 15, 4. perluor] perluor (*supra scriptum sic*: al. peruehor vel perluor — 7. Sulpura] Sulphura — 9. Clusinis] Clusinis — 13. equi] equis — 16. Iugis] Iugis (*ab eadem manu, ut videtur, supra scriptum sic*: al. dulcis. semper manantis) — 18. veni] ueni. — 27-28. haberi Scurra, vagus, non qui] haberi Scurra vagus. non qui — 32. donabat] donarat (*supra scriptum*: al. bat) — 35. agni-

nae] agnini (*supra script. in gloss.* s. omasi; *etiam supra*: al. agninae s. carnis) — 37. correctus Bestius. Idem,] correctus bestius. idem — 38. Quicquid] Quicquid

I, 16, 1. Quincti] quinti — 3. an pratis] et pratis — 5. si] si (*supra script.*: al. ni) — 7. discedens] discedens — 8. benigni] benigni (*ab alia manu supra* i *scriptum* e) — 9. ferant] ferant — 10. iuvet] iuuet — 14. utilis, utilis] utilis. utilis — 15. etiam] etiam — 22. tempus] tempus — 40. et medicandum] et mendacem — 43. res sponsore] responsore — 45. Introrsum] Introrsum — 51. Suspectos] Suspectos. — 55. fabae] fabae — unum] unum — 61. iusto sanctotoque] iustum sanctumque (*utrumque* um *in ras.*; *in utroque loco antea scriptum erat* o) — 63. Qui... qui] Qui... qui — 79. rerum est] rerum ē

I, 17, 2. tandem] tandem — 8. laedit] laedet — 12. ad unctum] ad unctum — 21. vilia, verum] uilia. rerum (*prius* r *in ras.*; *distinctionis signum expunct. et prima litt. in* rerum *ex* u *facta* r *a manu poster.*) — 28. loca] loca — 31. Vitabit] Uitauit — 43. suo] suo — 49. 'Et mihi.' Dividuo] Et mihi. diuiduo

I, 18, 8. dici mera] dici mera — 15-16. rixatur de lana saepe caprina, Propugnat nugis armatus: 'scilicet] rixatur de lana saepe caprina. Propugnat nugis armatus. scilicet — 18. elatrem, pretium] elatrem. pretium (*interrogationis nota, non admodum perspicua, adiecta videtur a manu poster.*) — 19. Docilis] docilis — 36. Thraex] Trax (*sic*) — 37. illius] illius — 45. quotiensque educet] quotiensq; educet — 46. Aetolis] Etholis (*sic*) — 57. armis] armis — 80. Ut] Ut — 81. fidentem] fidentem — 87. metuit] metuit — 91. Potores bibuli media de nocte Falerni] *totus hic versus deest in epistula*; *ab*

alia et ea recentiore manu adiectus est in marg. Versus autem 92 (= 91) *sic incipit*: Oderunt porrecta *cett.*; *praecedit versus* 91: Sedatum celeres *cett.* — 98-99. Num... Num] Num... Num — 107. et mihi] ut mihi — 110. neu] neu (*supra scriptum a m. rec. in gloss.* ne) — 111. Sed] Sed — quae ponit] qui donat

I, 19, 4-5. poetas, Vina] poetas. Uina — 10. edixi] edixit — 13. textore] textore — 15. lingua] lingua — 22. fidet] fidet (*ab alia manu supra* e *script.* i) — 23. reget] reget — 32. latinus] latinus — 39. auditor] auditor (*supra script. in gloss.* al. adiutor) — 47. iste] iste

I, 20, 2. mundus] mundus (*supra script. in gloss.* al. nudus) — 5. descendere] descendere — 7. ubi quis] ubi quis (*supra script. in gloss.* al. quid) — 10. deserat] deserat — 13. vinctus] uinctus — 15. protrusit] protrusit — 24. solibus aptum] solibus aptum — 28. duxit] duxit

Epist. II 1, 16. numen] nomen — 18. hic] hic — in uno,] in uno (*post* uno *omissa est distinctionis nota, sed supra in gloss. legitur*: in una re.) — 28. Graecorum] graiorum — 31. oleam] oleam — 42. respuat] respuat — 46. etiam] etiam — 48. in fastos] in fastos (*supra* in *ab eadem m. script.* al. ad) — 54. recens?] recens. — 67. credit] credat — 69. Livi] liui — 73. decorum,] decorum. et — 75. venditque] uenditq. — 85. Imberbes] Imberbes — 90. Graecis] grecis (*sic*) — 92. tereretque] tereretq; — 105. Cautos] Cautos — rectis] rectis — 109. pueri patresque] pueri patresque — 114. Navem] Nauim (*totum verbum atque adeo totus versus in ras.*; *supra* i *ab alia m. script.* e) — 142. Cum sociis operum, pueris] Cum sociis operum. et cum pueris (et cum

exp. ab alia m.) — 143. porco] porco — 145. **inventa**] inuenta — 153. lata] lata — 167. inscite] in **scriptis** (*supra script.* al. inscitie [*sic*]; *sed e in ras. et ab alia m. script.*) — 168. arcessit] accessit (*supra script. ab alia m.* arcessit) — 186. gaudet] gaudet (*supra script. ab alia m.* plaudet) — 187. equitis] equitis — 188. **incertos**] incertos — 196. converteret] conuerteret — 198. nimio] mimo (*verbum non liquet, ut paulum erasum: potest etiam ante scriptum fuisse* nimio) — 207. **Tarentino**] tarentino — 216. redde] redde — 226. eo rem venturam] eo rem uenturam — 233. Choerilus] Choerulus (*sic*) — 240. duceret] duceret — 247. Vergilius Variusque] uirgilius uariusq; — 268. operta] operta — 270. ineptis] ineptis

II, 2, 8. imitaberis] imitabitur (*supra script.* al. imitaberis; *sed hoc verbum duabus lineolis a m. post. deletum est*) — 11. extrudere] extrudere (*ab alia m. supra script.* excludere) — 15-16. habenae:' Des nummos] habenae. Des nummos (*supra* des *haec leguntur in gloss. ab ead. m. script.*: daturus eris dicit horatius) — laedat] laedat — 22. epistula] epistola — 32. honestis] opimis (*supra script. ab ead. m.* al. honestis) — 44. vellem] possim (*totum verb. in ras.*) — 49. Philippi] phylippi (*sic*) — 57. quid faciam vis?] quid faciam uis? — 63. renuis tu, quod iubet alter] rennuis (*sic*) tu quod iubet alter — 70. humane] humanae — 71. Purae] pure (*sic; spatium exstat inter* p *et* u, *ubi legi potest* l; *post* e *ras.: manifesto ante script. legebatur* plures) — 77. urbem] urbēs (s *adiectum ab alia m.: manifestum est scriptum ante fuisse* urbem) — 80. contracta] contacta — 83. curis] curis (*in marg. infer. ab alia m.:* curii) —

89. foret hic ut Mucius illi] foret. hic ut mutius illi — 98. ad lumina prima] ad lumina prima — 112. ferentur] ferentur (*supra script. ab ead. m.* al. feruntur) — 114. inter] inter — 123. carentia] carentia (*supra script. ab ead. m.* al. calentia) — 152. donarent] donarent — 158. quod quis libra mercatus et aere est] quod quis libra mercatus et aere ẽ (*supra script. ab ead. m.* al. mercatur et aere) — 161. daturas] daturus — 167. quondam] quoniam — 171. refugit] refugit — 173. morte] morte — 175. Sic quia] Si quia — 182. curat] curat — 199. domus procul absit:] domus. procul absit. — 203. loco, re] loco. re — 205. Non es avarus: abi. Quid?] non es auarus? abi. quid? — 206. fugere] fuge. rite — 210. Natalis] Natales — 212. levat] iuuat — 216. decentius] decentius

Ars poet. 2. plumas] plumas — 3. collatis] collatis — 7. aegri] aegri (*post* i s *erasum*) — 18. pluvius] pluuius — 23. sit quod vis] sit quod uis — 26. levis] leuia — 32. faber imus] faber imus — 35. ego me] ego me — 36. naso vivere pravo] naso uiuere prauo — 49. rerum, et] rerum. et — 52. fictaque] fictaq; — 53. parce] parce — 55. Vergilio] Uirgilio — 59. producere] producere — 62. vigentque] uigentque — 63. Debemur] Debemur — 65. sterilisve diu palus] sterilisq; diu palus — 68. facta] facta — 72. ius] ius (*verb. corr.; ante legebatur* uis) — 76. inclusa est] inclusa ẽ — 77. emiserit] emiserit — 92. decenter] decenter — 95. pedestri] pedestri. — 96. Telephus et Peleus, cum pauper] Telephus et peleus cum pauper — 98. curat] curat — 101. adsunt] adsunt — 104. male] male — 111. effert effert] — 114. divusne loquatur an heros] dauusne lo-

quatur an heros (*in primo verbo* da *in ras.*) — 116. potens] potens — 117. virentis] uirentis — 120. honoratum] honoratum — 133. verbo verbum] uerbo uerbum — 136. cyclicus] cyclicus — 139. Parturient Parturient — 141. tempora] tēpora — 154. plosoris plosoris (*ab alia m. prius* o non bene *mutat. in* a *et supra script.* u) — 157. naturis] naturis — 161. Imberbus] Imberbis (is *corr. a m. post.: ante legebatur* imberbus) — 168. mox mutare] mox mutare — 172. avidusque] auidusque — 178. morabimur] morabimur — 190. spectanda] spectanda — 196. amice] amice — 197. peccare timentis] peccare timentes — 202. vincta] uincta — 203. pauco] pauco — 208. urbes] urbes — 220. certavit] certauit (uit *in ras.*) — 237. et audax] an audax — 249. fricti] fracti (*supra script. ab ead. m.* cocti vel fricti) — 253. Nomen] Nomen — 261. celeris nimium] celeris nimium — 266. intra] intra — 270. vestri] ūri — 277. Quae] Quae — peruncti faecibus ora] peruncti faecibus ora — 289. clarisve] clarisue — 294. Praesectum] Perfectum — 302. purgor] purgor — 305. exsors ipsa] exsors ipsa (*omnes litterae praeter* ex *in ras.*) — 318. vivas] uiuas — 319. speciosa locis] speciosa locis — 327. Albini] albini — 328. Poteras dixisse'. 'Triens'. 'Eu!] poteras dixisse triens. eu — 330. At] ad (*ab alia m. supra* d *script.* n) — 331. speramus] speramus — 339. Ne] Ne (*post* e *exstat ras.*) — volet] uelit — 345. aera] aera — Sosiis] sosiis — 349. remittit] remittit — 355. ut] et — 358. terque] terq; — 360. operi longo] opere ī longo (ī *adiect. ab alia manu*) — 361. Ut pictura poesis: erit] Ut pictura poesis erit. — 362. et quaedam] et quaedā — 371. nec scit] nescit — 378. ver-

git] uergit — 385. faciesve] faciesque — 393. rabidosque] rabidosq; — 394. urbis] arcis — 402. Tyrtaeusque] Tyrteusq; — 407. lyrae] lyrae — 410. prosit] prosit — 416. Nunc] Nunc — 417. relinqui est] relinqui ẽ — 421. agris] agris — 423. atris] atris — 424-425. Litibus... amicum] Noscere... inter (*i. e. versus 425 prior est versu 424: sed ordo versuum notis litterar.* b *et* a *restitutus est*) — 431. Ut qui conducti] Ut qui conducti — 435. perspexisse laborant] perspexisse laborent — 437. fallent] fallent — 441. Et male ornatos] Et male tornatos — 450. nec] nec — 458. Si] Sic — 462. deiecerit] deiecerit — 465. Aetnam] etnam (*sic*) — 473. clatros] clatros

DELENDA ET CORRIGENDA
IN PRAEFATIONE
ET
IN ADNOTATIONIBVS CRITICIS

Pag.	xxx	lin.	20 *cett*	Lege	*cett.*
„	xxxj	„	5 *Oppdius*	„	*Oppidius*
„	6	„	2 *paene omnes*	„	*omnes paene*
„	16	„	1 coherces,	„	coherces
„	21	„	1 *fere omnes*	„	*omnes fere*
„	22	„	2 Proteum	„	Proteus
„	39	„	1 *ut videtur*	„	*ut videntur*
„	104	„	2 *num recte sentiant*	„	*utrum recte sentiant, nec ne,*
„	„	„	4 *in his.*	„	..*in his*
„	108	„	3 *futurum*	„	*futurum tempus*
„	118	„	1 Dele *ex coniectura*		
„	129	„	6 *Nominativum*	„	*Nominativum casum*
„	274	„	9 Dele *ex coniectura*		
„	334	„	2 Dele *ex coniectura*		
„	360	„	3 141.	„	141
„	370	„	3 rethor	„	rhetor
„	394	„	12 *sese*	„	*esse*
„	395	„	14 *quibuscum*	„	*cum quibus*

Q. HORATI FLACCI

CARMINA

Q. HORATI FLACCI

CARMINVM

LIBER PRIMVS

I

MAECENAS atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum,
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse iuvat, metaque fervidis

Evitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos;
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;

Illum, si proprio condidit horreo,
Quicquid de Libycis verritur areis.
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros Attalicis condicionibus

I 1. — 7. mobilium *maior pars codd.*: nobilium *nonnulli, ut* —

Numquam demoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium et oppidi

Laudat rura sui; mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est qui nec veteris pocula Massici
Nec partem solido demere de die

Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
Multos castra iuvant et lituo tubae
Permixtus sonitus bellaque matribus

Detestata. Manet sub Iove frigido
Venator tenerae coniugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretis Marsus aper plagas.

Me doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis, me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo, si neque tibias

Euterpe cohibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quodsi me lyricis vatibus inseres,
Sublimi feriam sidera vertice.

---

13. demoveas BR: dimoveas *ceteri*. 35. inseres AaBR *alii*: inseris *complures, in his* φψλlδπ.

II

Iam satis terris nivis atque dirae
Grandinis misit Pater et rubente
Dextera sacras iaculatus arces
Terruit Urbem,

Terruit gentis, grave ne rediret
Saeculum Pyrrhae nova monstra questae,
Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montis,

Piscium et summa genus haesit ulmo,
Nota quae sedes fuerat columbis,
Et superiecto pavidae natarunt
Aequore dammae.

Vidimus flavum Tiberim retortis
Litore Etrusco violenter undis
Ire deiectum monumenta regis
Templaque Vestae,

Iliae dum se nimium querenti
Iactat ultorem, vagus et sinistra
Labitur ripa Iove non probante u-
xorius amnis.

Audiet civis acuisse ferrum,
Quo graves Persae melius perirent,
Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuventus.

Quem vocet divum populus ruentis
Imperi rebus? Prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam?

Cui dabit partis scelus expiandi
Iuppiter? Tandem venias, precamur,
Nube candentis umeros amictus,
Augur Apollo;

Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Iocus circum volat et Cupido;
Sive neglectum genus et nepotes
Respicis, auctor

Heu! nimis longo satiate ludo,
Quem iuvat clamor galeaeque leves
Acer et Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem;

Sive mutata iuvenem figura
Ales in terris imitaris, almae
Filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor:

Serus in caelum redeas, diuque
Laetus intersis populo Quirini,
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura

I 2. — 39. Mauri *omnes ad unum codd.*: Marsi *coniecit Tanaquil ber, probante Bentleio.* 40. Vultus *paene omnes codd.*: voltus φψ.

Tollat; hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater atque princeps,
Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Caesar.

III

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater
Obstrictis aliis praeter Iapyga,

Navis, quae tibi creditum
Debes Vergilium; finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.

Illi robur et aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit praecipitem Africum

Decertantem Aquilonibus,
Nec tristis Hyadas, nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriae
Maior, tollere seu ponere vult freta.

Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,

I 3, — 6. Vergilium R: Virgilium *ceteri.* 16. volt *nonnulli*

Qui vidit mare turbidum et
Infamis scopulos, Acroceraunia?

Nequicquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas:
Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.

Post ignem aetheria domo
Subductum macies et nova febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda necessitas

Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Daedalus aera
Pinnis non homini datis;
Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Nil mortalibus ardui est;
Caelum ipsum petimus stultitia, neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina.

---

19. turbidum Aaλ*l*L *alii*: turgidum Rφψδπ *alii*. 20. Acroceraunia AaLβ *alii*: Acrocerauniae Rφψ*l*π *alii*. 35. Pinnis *pauci*, *in his* A1R1: Pennis *plerique*. 37. ardui est Aaφψλ'δπ *alii*: arduum est *pauci*, *veluti* RL.

IIII

Solvitur acris hiemps grata vice veris et Favoni,
  Trahuntque siccas machinae carinas,
Ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni,
  Nec prata canis albicant pruinis.

Iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna,
  Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum gravis Cyclopum
  Volcanus ardens urit officinas.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto
  Aut flore terrae quem ferunt solutae;
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
  Seu poscat agna sive malit haedo.

Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
  Regumque turris. O beate Sesti,
Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
  Iam te premet nox fabulaeque Manes

Et domus exilis Plutonia; quo simul mearis,
  Nec regna vini sortiere talis,
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
  Nunc omnis et mox virgines tepebunt.

I 4. – 8. Volcanus Rφψπ *alii*: Vulcanus *plerique*. – urit φψδL *alii*: visit AaRπλl *alii*, *probante Bentleio*. 12. agna *plerique codd.*: agnam *perpauci*. 15. inchoare *optimi codd.*

V

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus
  Grato, Pyrrha, sub antro?
    Cui flavam religas comam,

Simplex munditiis? Heu! quotiens fidem
Mutatosque deos flebit et aspera
  Nigris aequora ventis
    Emirabitur insolens,

Qui nunc te fruitur credulus aurea,
Qui semper vacuam, semper amabilem
  Sperat, nescius aurae
    Fallacis. Miseri, quibus

Intemptata nites! Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
  Suspendisse potenti
    Vestimenta maris deo.

VI

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor, Maeonii carminis alite,
Quam rem cumque ferox navibus aut equis
  Miles te duce gesserit.

I 5. – 14. humida *perpauci, ut* φψ.
I 6. – 2. alite *codd.*: aliti *Passeratius, Luc. Muellerus.*

Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii,
Nec cursus duplicis per mare Ulixei,
  Nec saevam Pelopis domum

Conamur, tenues grandia, dum pudor
Imbellisque lyrae Musa potens vetat
Laudes egregii Caesaris et tuas
  Culpa deterere ingeni.

Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit, aut pulvere Troico
Nigrum Merionen, aut ope Palladis
  Tydiden superis parem?

Nos convivia, nos proelia virginum
Sectis in iuvenes unguibus acrium
Cantamus, vacui, sive quid urimur,
  Non praeter solitum leves.

VII

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mytilenen
  Aut Epheson bimarisve Corinthi
Moenia vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
  Insignis aut Thessala Tempe.

---

7. duplicis Rφψλlδπ *alii*: duplices AaL *alii pauci*.

Sunt quibus unum opus est, intactae Palladis urbem
  Carmine perpetuo celebrare et
Undique decerptam fronti praeponere olivam.
  Plurimus in Iunonis honorem

Aptum dicet equis Argos ditisque Mycenas.
  Me nec tam patiens Lacedaemon
Nec tam Larisae percussit campus opimae,
  Quam domus Albuneae resonantis

Et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda
  Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obscuro deterget nubila caelo
  Saepe Notus neque parturit imbris

Perpetuo, sic tu sapiens finire memento
  Tristitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
  Castra tenent seu densa tenebit

Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
  Cum fugeret, tamen uda Lyaeo
Tempora populea fertur vinxisse corona,
  Sic tristis adfatus amicos:

I 7. — 5. urbem *omnes prope codd.*: arces *admodum pauci.* 8. honorem *omnes codd.*: honore *Oudendorpius, quem plurimi secuti sunt.* 9. dicet φλ/δπ *alii*: dicit *multi, ut* AaRI.ψ. 11. Larisae R[1]L[1] *alii.* 15. *Novum carmen incipiunt aliquot codd., in his* Aγφψλ/δπ. — Deterget *plerique*: detergit *perpauci, velut* γ. 17. Perpetuo γφψλ/δπR[2]: Perpetuos AaL *alii.* 23. populea φψλ/δπ *alii*: populna aγR.

'Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
Ibimus, o socii comitesque.
Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro:
Certus enim promisit Apollo,

Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes peioraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas;
Cras ingens iterabimus aequor.'

VIII

Lydia, dic, per omnis
Te deos oro, Sybarin cur properes amando
Perdere; cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis;

Cur neque militaris
Inter aequalis equitet, Gallica nec lupatis
Temperet ora frenis.
Cur timet flavum Tiberim tangere? Cur olivum

---

27. auspice Teucro φψλlπ *alii*: auspice Teucri *complures, ut* AaγB.

I 8. – 2. Te deos oro φψλlL *alii*: Hoc deos vere AaBR *alii*: Hoc deos oro γπ *alii*. – properes *omnes fere codd.*: properas π, *Diomedes, alii grammatici*. 6. equitet *maior pars codd.*: equitat *pauci, ut* γπ. 7. temperet *omnes prope codd.*: temperat δ.

Sanguine viperino
  Cautius vitat, neque iam livida gestat armis
Bracchia, saepe disco,
  Saepe trans finem iaculo nobilis expedito?

Quid latet, ut marinae
  Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae
Funera, ne virilis
  Cultus in caedem et Lycias proriperet catervas?

VIIII

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
  Silvae laborantes, geluque
    Flumina constiterint acuto.

Dissolve frigus ligna super foco
Large reponens atque benignius
  Deprome quadrimum Sabina,
    O Thaliarche, merum diota.

Permitte divis cetera, qui simul
Stravere ventos aequore fervido
  Deproeliantis, nec cupressi
    Nec veteres agitantur orni.

I 9. – 7. Deprome *complures, in his* AaR: depone φψδπ *al.*

Quid sit futurum cras, fuge quaerere et
Quem fors dierum cumque dabit, lucro
  Appone nec dulcis amores
    Sperne, puer, neque tu choreas,

Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et campus et areae
  Lenesque sub noctem susurri
    Composita repetantur hora;

Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo,
  Pignusque dereptum lacertis
    Aut digito male pertinaci.

X

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus et decorae
  More palaestrae,

Te canam, magni Iovis et deorum
Nuntium curvaeque lyrae parentem,
Callidum, quicquid placuit, iocoso
  Condere furto.

23. dereptum AaRΦψL *alii*: direptum γλlδπ *alii*.

Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
  Risit Apollo.

Quin et Atridas duce te superbos
Ilio dives Priamus relicto
Thessalosque ignis et iniqua Troiae
  Castra fefellit.

Tu pias laetis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam, superis deorum
  Gratus et imis.

XI

Tu ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios
Temptaris numeros. Ut melius, quicquid erit, pati!
Seu pluris hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,

Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum, sapias, vina liques, et spatio brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
Aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

I 10. – 18. coerces aBRφψγλlδπ *alii*: coherces, *pauci, in his* A.
I 11. – 5. Quae *omnes fere codd.*: Qui *admodum pauci, velut* δ.

XII

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?
Quem deum? Cuius recinet iocosa
  Nomen imago

Aut in umbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo gelidove in Haemo?
Unde vocalem temere insecutae
  Orphea silvae,

Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus celerisque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
  Ducere quercus.

Quid prius dicam solitis parentis
Laudibus, qui res hominum ac deorum,
Qui mare ac terras variisque mundum
  Temperat horis?

Unde nil maius generatur ipso,
Nec viget quicquam simile aut secundum;

I 12. — 2. sumis AaBRγπ *alii*: sumes *nonnulli*, *ut* φψλ*l*δ. 3. recinet ABλ *alii*: recinit γφψδL *alii*: retinet *nonnulli*, *in* aR*l*πτ. 13. parentis AaBRλ*l* *alii*: parentum γφψδπ *alii*. 15. terras AaBR *alii multi*: terram *pauci*, *velut* γφψδπ.

Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores,

Proeliis audax: neque te silebo,
Liber, et saevis inimica virgo
Beluis, nec te, metuende certa
Phoebe sagitta.

Dicam et Alciden puerosque Ledae,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem; quorum simul alba nautis
Stella refulsit,

Defluit saxis agitatus umor,
Concidunt venti fugiuntque nubes,
Et minax, quod sic voluere, ponto
Unda recumbit.

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile letum.

Regulum et Scauros animaeque magnae
Prodigum Paulum superante Poeno
Gratus insigni referam camena
Fabriciumque.

---

20 sq. *Codd. alii aliter interpungunt:* Pallas honores, proeliis audax *plerique:* Pallas honores. Proeliis audax *nonnulli. Sunt autem codices, qui nullam interpunctionem exhibeant.* 31. quod R *cum paucis:* quia *maior pars codd.* 36. lectum γφψδπ.

Hunc et incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit et Camillum
Saeva paupertas et avitus apto
  Cum lare fundus.

Crescit occulto velut arbor aevo
Fama Marcelli; micat inter omnis
Iulium sidus, velut inter ignis
  Luna minores.

Gentis humanae pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
  Caesare regnes.

Ille seu Parthos Latio imminentis
Egerit iusto domitos triumpho,
Sive subiectos Orientis orae
  Seras et Indos,

Te minor latum reget aequus orbem;
Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
  Fulmina lucis.

---

41. incomptis *omnes codd.*: intonsis *Quintilianus* VIIII, 8, 18. 43. Saeva *codd.*: Sancta *coniecit Bentleius.* – apto *codd*: arto *ed. Mediol.* 1477, *Bentleius, alii.* 57. laetum aBL *cum aliis paucis*: letum A. – regit *nonnulli, ut* φψδπL. 58. quatiens AaL.

XIII

Cum tu, Lydia, Telephi
  Cervicem roseam, cerea Telephi
Laudas bracchia, vae! meum
  Fervens difficili bile tumet iecur.

Tunc nec mens mihi nec color
  Certa sede manent, umor et in genas
Furtim labitur, arguens
  Quam lentis penitus macerer ignibus.

Uror, seu tibi candidos
  Turparunt umeros immodicae mero
Rixae, sive puer furens
  Impressit memorem dente labris notam.

Non, si me satis audias,
  Speres perpetuum dulcia barbare
Laedentem oscula, quae Venus
  Quinta parte sui nectaris imbuit.

Felices ter et amplius,
  Quos inrupta tenet copula nec malis
Divulsus querimoniis
  Suprema citius solvet amor die.

I 13. — 2. cerea *omnes codd.*: lactea *Flavius Caper*, *quem secuti sunt Bentleius*, *Luc. Muellerus*, *alii*. 6. manet B *cum paucis*. 13. audies *pauci*, *ut* γδ. 19. Divolsus γφψλlδπ *cum aliis paucis*.

XIIII

O navis, referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis? Fortiter occupa
Portum. Nonne vides ut
Nudum remigio latus

Et malus celeri saucius Africo
Antemnaeque gemant, ac sine funibus
Vix durare carinae
Possint imperiosius

Aequor? Non tibi sunt integra lintea,
Non di, quos iterum pressa voces malo.
Quamvis Pontica pinus,
Silvae filia nobilis,

Iactes et genus et nomen inutile,
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. Tu, nisi ventis
Debes ludibrium, cave.

Nuper sollicitum quae mihi taedium,
Nunc desiderium curaque non levis,
Interfusa nitentis
Vites aequora Cycladas.

I 14. – 6. gemant *fere omnes codd.*: gemunt *perpauci.* 8. Possint AaBBφψδλlπ *alii*: Possunt *admodum pauci.* 20. Cyclades aliquot *codd., in his* γφψλlδL.

XV

Pastor cum traheret per freta navibus
Idaeis Helenen perfidus hospitam,
Ingrato celeris obruit otio
  Ventos, ut caneret fera

Nereus fata. 'Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite,
Coniurata tuas rumpere nuptias
  Et regnum Priami vetus.

Heu heu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanae
Genti! Iam galeam Pallas et aegida
  Currusque et rabiem parat.

Nequicquam Veneris praesidio ferox
Pectes caesariem, grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides;
  Nequicquam thalamo gravis

Hastas et calami spicula Cnosii
Vitabis strepitumque et celerem sequi
Aiacem: tamen, heu! serus adulteros
  Crines pulvere collines.

I 15. — 2. Helenen *omnes paene codd.*: Helenam *pauci cum Blandinio vetustiss.* 5. Nereus *codd*: Proteum *legit Porphyrion.* — 9. Heu heu AaBR *alii*: Eheu γφψλlδL. 17. Cnosii R[1]: Gnosii *ceteri.* 20. Crines Aaλlg: Cultus Rφψγδ πL.

Non Laertiaden, exitium tuae
Gentis, non Pylium Nestora respicis?
Urgent impavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus sciens

Pugnae, sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger. Merionen quoque
Nosces. Ecce furit, te reperire atrox,
Tydides melior patre,

Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuae.

Iracunda diem proferet Ilio
Matronisque Phrygum classis Achillei;
Post certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos'.

XVI

O matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminosis cumque voles modum
Pones iambis, sive flamma
Sive mari libet Hadriano.

---

21. exitium *maior pars codd.*: excidium γδLg. 22. Gentis Aλlπ *alii*: Genti Rγφψδ *alii*. 36. Iliacas *omnes codd.*: Pergameas *coniecerunt nonnulli*: *alii* barbaricas, *alii* Dardanias.

I 16. — 3. Pones AaBLλl *alii*: Ponis Rφψγδπ *alii*.

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber aeque, non acuta
Sic geminant Corybantes aera,

Tristes ut irae, quas neque Noricus
Deterret ensis nec mare naufragum
Nec saevus ignis nec tremendo
Iuppiter ipse ruens tumultu.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam et insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

Irae Thyesten exitio gravi
Stravere et altis urbibus ultimae
Stetere causae, cur perirent
Funditus imprimeretque muris

Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem: me quoque pectoris
Temptavit in dulci iuventa
Fervor et in celeris iambos

Misit furentem; nunc ego mitibus
Mutare quaero tristia, dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis animumque reddas.

---

8. sic *omnes prope codd.*: si πpr, *teste Kellero. Ceterum* si *coniecerat Bentleius.*

XVII

Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus et igneam
Defendit aestatem capellis
Usque meis pluviosque ventos.

Impune tutum per nemus arbutos
Quaerunt latentis et thyma deviae
Olentis uxores mariti,
Nec viridis metuunt colubras

Nec martialis Haediliae lupos,
Utcumque dulci, Tyndari, fistula
Valles et Usticae cubantis
Levia personuere saxa.

Di me tuentur, dis pietas mea
Et Musa cordi est. Hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus, et fide Teia
Dices laborantis in uno
Penelopen vitreamque Circen;

I 17. — 9. Haediliae BRφ: Hediliae ψλl: Ediliae δπ: Haedilia A *cum aliis*. 14. Hinc *omnes fere codd.*: Hic *admodum pauci*.

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra, nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia, nec metues protervum

Suspecta Cyrum, ne male dispari
Incontinentis iniciat manus
Et scindat haerentem coronam
Crinibus immeritamque vestem.

XVIII

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem
Circa mite solum Tiburis et moenia Catili;
Siccis omnia nam dura deus proposuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.

Quis post vina gravem militiam aut pauperiem cre-
[pat?
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Ve-
[nus?
Ac nequis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero

Debellata, monet Sithoniis non levis Euhius,
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam nec variis obsita frondibus

I 18. — 5. crepat *plerique codd.*: increpat φψδ *alii*: crepet *Servius*. 7. At *pro* Ac *perpauci*, *ut* L.

Sub divum rapiam. Saeva tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quae subsequitur caecus amor sui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

XVIIII

Mater saeva Cupidinum
  Thebanaeque iubet me Semelae puer
Et lasciva Licentia
  Finitis animum reddere amoribus.

Urit me Glycerae nitor,
  Splendentis Pario marmore purius;
Urit grata protervitas
  Et vultus nimium lubricus aspici.

In me tota ruens Venus
  Cyprum deseruit, nec patitur Scythas
Et versis animosum equis
  Parthum dicere, nec quae nihil attinent.

Hic vivum mihi caespitem, hic
  Verbenas, pueri, ponite turaque
Bimi cum patera meri:
  Mactata veniet lenior hostia.

---

15. Et tollens ABRλl *alii*: Extolleus φψδ: Attollens π *cum Servio.*

I 19. — 2. iubent Bλl. — Semelae *omnes optimae notae codd.*: Semcles *admodum pauci.* 14. tura, *sic omnes codd.*

XX

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus,

Care Maecenas eques, ut paterni
Fluminis ripae simul et iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Caecubum et prelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae
Temperant vites neque Formiani
Pocula colles.

XXI

Dianam tenerae dicite virgines,
Intonsum, pueri, dicite Cynthium
Latonamque supremo
Dilectam penitus Iovi.

I 20. — 3. levi *plurimi, in his* AaBL: elevi Rφψλ'πg. 5. Care *codd.; nisi quod* Kare *exhibent* AaR *cum aliis paucis*: Clare, *uno codice fretus, legit Bentleius.* 10. Tu *codd.*: Tum, *auctore Porphyrione ad Sat.*, II, 2, 48, *legunt nonnulli viri docti.* — bibes *codd.*: bibas *coniecerat Kellerus, sed* bibes *recepit cum Haeussnero in edit. an.* 1888.

Vos laetam fluviis et nemorum coma,
Quaecumque aut gelido prominet Algido,
  Nigris aut Erymanthi
    Silvis aut viridis Gragi;

Vos Tempe totidem tollite laudibus
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
  Insignemque pharetra
    Fraternaque umerum lyra.

Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque a populo et principe Caesare in
  Persas atque Britannos
    Vestra motus aget prece.

XXII

Integer vitae scelerisque purus
Non eget Mauris iaculis neque arcu
Nec venenatis gravida sagittis,
  Fusce, pharetra,

Sive per Syrtis iter aestuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum vel quae loca fabulosus
  Lambit Hydaspes.

I 21. — 5. coma ARλlδπ *cum aliis*: comam aBφψL *alii*. 8. Gragi (*etiam* Grati, Gagi) *codd. Ut enim* Ἀκράγας *Agrigentum latine dicitur, sic* Gragi (*gr.* Κράγος) *Horatius scribere potuit; quod recte adnotavit Kellerus in Epil.*, *p.* 81. 14. in *omiss.* AaR *alii.*

I 22. — 2. Mauri *perpauci codd. correxerunt.*

Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen et ultra
Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem:

Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
Nec Iubae tellus generat, leonum
Arida nutrix.

Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urget;

Pone sub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

XXIII

Vitas inuleo me similis, Chloe,
Quaerenti pavidam montibus aviis
Matrem non sine vano
Aurarum et siluae metu.

---

14. Daunias AaBRφψδL *alii.* Daunia λlπ *cum paucis.* 18. umbra *pro* aura *Victorinus.*

I 23. — 1. Vitas *Parisini* 7973,8213, *praeterea expositio metrica cod.* γ.: Vitat *omnes ceteri.* — inuleo *cum BR aliisque scribendum esse demonstravit Kellerus in Epil., p.* 84: hinulco *cum* L2 *probat Luc.*

Nam seu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis, seu virides rubum
  Dimovere lacertae,
    Et corde et genibus tremit.

Atqui non ego te tigris ut aspera
Gaetulusve leo frangere persequor:
  Tandem desine matrem
    Tempestiva sequi viro.

XXIIII

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis? Praecipe lugubris
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
  Vocem cum cithara dedit.

Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget? Cui Pudor et Iustitiae soror,
Incorrupta Fides, nudaque Veritas
  Quando ullum inveniet parem?

Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior quam tibi, Vergili.
Tu frustra pius heu! non ita creditum
  Poscis Quintilium deos.

Muellerus: hinnuleo *post Bentleium scripsit Ritterus cum* R^2 *et aliis paucis*. 5, 6. veris... Adventus *omnes codd. Pro* veris *Gogavius et Salmasius coniecerunt* vepris: Ad ventum *protulit Muretus. Quo factum est ut Bentleius Horatio tribueret* vepris.... Ad ventum, *probante Kellero, qui tamen* Ad ventos *pro* Ad ventum *legere maluit*.

I 24. — 10. Vergili B*pr*.$R^1 \varphi\psi\lambda^l\pi^1$.

Quid? si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Num vanae redeat sanguis imagini,
  Quam virga semel horrida,

Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi?
Durum: sed levius fit patientia,
  Quicquid corrigere est nefas.

XXV

Parcius iunctas quatiunt fenestras
Iactibus crebris iuvenes protervi,
Nec tibi somnos adimunt, amatque
  Ianua limen,

Quae prius multum facilis movebat
Cardines. Audis minus et minus iam:
'Me tuo longas pereunte noctes,
  Lydia, dormis?'

Invicem moechos anus arrogantis
Flebis in solo levis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
  lunia vento,

I 25. — 2. Iactibus *omnes paene codd.*: Ictibus L[1]g *cum paucis.*

Cum tibi flagrans amor et libido,
Quae solet matres furiare equorum,
Saeviet circa iecur ulcerosum,
Non sine questu,

Laeta quod pubes hedera virenti
Gaudeat pulla magis atque myrto,
Aridas frondes hiemis sodali
Dedicet Hebro.

XXVI

Musis amicus tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis, quis sub Arcto
Rex gelidae metuatur orae,

Quid Tiridaten terreat, unice
Securus. O, quae fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,

Piplea dulcis. Nil sine te mei
Prosunt honores: hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet sorores.

---

13. libido *omnes fere codd.*: cupido B. 20. Hebro *omnes ad unum codd.*, *Acr.*, *Porph.*: Euro *Aldus, quem multi in suis editt. secuti sunt.*

I 26. — 9. Piplea *Horatium scripsisse ex omnibus paene codd. colligi posse videtur.* Pimplaei *Nic. Heinsius, assentientibus Bentleio, Luc. Muellero, aliis, qui tamen* Pimplei *scripserunt*: Pimplea *maluit Peerlkampus.* 10. Possunt *pro* Prosunt *perpauci Lambini codd., probante Bentleio.*

XXVII

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare Thracum est: tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat: impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.

Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? Dicat Opuntiae
Frater Megillae, quo beatus
Vulnere, qua pereat sagitta.

Cessat voluntas? Non alia bibam
Mercede. Quae te cumque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus ingenuoque semper

Amore peccas. Quicquid habes, age,
Depone tutis auribus. A, miser,
Quanta laborabas Charybdi,
Digne puer meliore flamma!

I 27. — 5. acinacis *complures, in his* AaBLγλl. 13. voluntas AaRLγ *alii*: voluptas Bφψλlδπσgτ *alii*. 19. laborabas Charybdi *plerique codd.*: *nonnulli vero* laboras *praebent*: laboras in *Aldus, Bentleius, alii*: laboras ab *Oudendorpius*.

Quae saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit deus?
Vix inligatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

XXVIII

Te maris et terrae numeroque carentis harenae
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera, nec quicquam tibi prodest

Aerias temptasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum morituro.
Occidit et Pelopis genitor, conviva deorum,
Tithonusque remotus in auras

Et Iovis arcanis Minos admissus, habentque
Tartara Panthoiden iterum Orco
Demissum, quamvis clipeo Troiana refixo
Tempora testatus nihil ultra

Nervos atque cutem morti concesserat atrae,
Iudice te non sordidus auctor
Naturae verique. Sed omnis una manet nox,
Et calcanda semel via leti.

I 28. — 8. litus φψλlδL *alii*: latum AaBRγ *alii*. 15. nox γφψλδπ *alii*: nota *pauci*, *in his* AaR.

Dant alios Furiae torvo spectacula Marti;
Exitio est avidum mare nautis;
Mixta senum ac iuvenum densentur funera, nullum
Saeva caput Proserpina fugit.

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagae ne parce malignus harenae
Ossibus et capiti inhumato

Particulam dare: sic, quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinae
Plectantur silvae te sospite, multaque merces,
Unde potest, tibi defluat aequo

Ab Iove Neptunoque sacri custode Tarenti.
Neglegis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere? Forset
Debita iura vicesque superbae

Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis,
Teque piacula nulla resolvent.
Quamquam festinas, non est mora longa; licebit
Iniecto ter pulvere curras.

---

18. avidum, *sic optimi codd.*: avidis *unus minimi ponderis codex.* 19. densentur *maior pars codd.*: densantur *perpauci*, *velut* g. 21. rapidus *codd.*: rabidus *Luc. Muellerus.* 31. Forset *scribendum esse demonstravit Kellerus in Epil.*, *p.* 100 *sq.*: *in codd. legitur etiam* Fors et: *pauci, ut* B, forsan *exhibent*: Forsit aR.

XXVIIII

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabaeae
Regibus, horribilique Medo

Nectis catenas? Quae tibi virginum
Sponso necato barbara serviet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis,

Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus et Tiberim reverti,

Cum tu coemptos undique nobilis
Libros Panaeti Socraticam et domum
Mutare loricis Hiberis,
Pollicitus meliora, tendis?

XXX

O Venus, regina Cnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron et vocantis
Ture te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.

Fervidus tecum puer et solutis
Gratiae zonis properentque Nymphae
Et parum comis sine te Iuventas
Mercuriusque.

XXXI

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? Quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? Non opimae
Sardiniae segetes feraces,

Non aestuosae grata Calabriae
Armenta, non aurum aut ebur Indicum,
Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.

Premant Calena falce quibus dedit
Fortuna vitem, dives et aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata merce,

Dis carus ipsis, quippe ter et quater
Anno revisens aequor Atlanticum
Impune. Me pascunt olivae,
Me cichorea levesque malvae.

I 31. — 9. Calena *omnes codd.*: Calenam *nonnullae editt. cum Bentleio.* 10. et Aaβγπgτ *alii*: ut *complures, in his* BRφψλ'σδ. 11. culillis AaRγ *alii, quos secutus est Kellerus.*

Frui paratis et valido mihi,
Latoe, dones, at, precor, integra
    Cum mente, nec turpem senectam
        Degere nec cithara carentem.

XXXII

Poscimur. Siquid vacui sub umbra
Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat et pluris, age, dic Latinum,
    Barbite, carmen,

Lesbio primum modulate civi,
Qui ferox bello tamen inter arma,
Sive iactatam religarat udo
    Litore navem,

Liberum et Musas Veneremque et illi
Semper haerentem puerum canebat
Et Lycum nigris oculis nigroque
    Crine decorum.

O decus Phoebi et dapibus supremi
Grata testudo Iovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cumque salve
    Rite vocanti!

---

18. at *omnes, ut videtur, codd., aut certe perpaucis exceptis*: ac *maluit Bentleius*: et *Lambinus.*

I 32. – 1. Poscimur Rφψλδπ *alii*: Poscimus AaBLγl *alii.* 8. navim B *cum paucis.* 15. mihi cumque *omnes codd.*: medicumque *ex Lachmanni coniectura recepit Luc. Muellerus.*

XXXIII

Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glycerae neu miserabilis
Decantes elegos, cur tibi iunior
Laesa praeniteat fide.

Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor, Cyrus in asperam
Declinat Pholoen: sed prius Apulis
Iungentur capreae lupis,

Quam turpi Pholoe peccet adultero.
Sic visum Veneri, cui placet imparis
Formas atque animos sub iuga aenea
Saevo mittere cum ioco.

Ipsum me melior cum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Hadriae
Curvantis Calabros sinus.

XXXIIII

Parcus deorum cultor et infrequens,
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare atque iterare cursus

Cogor relictos: namque Diespiter,
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantis
Egit equos volucremque currum,

Quo bruta tellus et vaga flumina,
Quo Styx et invisi horrida Taenari
Sedes Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis

Mutare et insignem attenuat deus,
Obscura promens: hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

XXXV

O diva, gratum quae regis Antium,
Praesens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus vel superbos
Vertere funeribus triumphos,

Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus, te dominam aequoris,
Quicumque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.

I 34. – 5. relictos *omnes codd.*: relectos *Nic. Heinsius, Bentleius, alii.*

Te Dacus asper, te profugi Scythae
Urbesque gentesque et Latium ferox
Regumque matres barbarorum et
Purpurei metuunt tyranni,

Iniurioso ne pede proruas
Stantem columnam, neu populus frequens
Ad arma cessantis, ad arma
Concitet imperiumque frangat.

Te semper anteit saeva Necessitas,
Clavos trabalis et cuneos manu
Gestans aena, nec severus
Uncus abest liquidumque plumbum.

Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
Utcumque mutata potentis
Veste domos inimica linquis.

At vulgus infidum et meretrix retro
Periura cedit, diffugiunt cadis
Cum faece siccatis amici,
Ferre iugum pariter dolosi.

Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos et iuvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus Oceanoque rubro.

I 35. — 17. saeva φψ'δ: seva λπ *alii*: serva AaBRLγ *alii*. 25. volgus Aφ⸸γπ *cum aliis paucis*.

Eheu! cicatricum et sceleris pudet
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manum iuventus

Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam nova
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum!

XXXVI

Et ture et fidibus iuvat
Placare et vituli sanguine debito
Custodes Numidae deos,
Qui nunc Hesperia sospes ab ultima

Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula
Quam dulci Lamiae, memor
Actae non alio rege puertiae

Mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulchra dies nota,
Neu promptae modus amphorae,
Neu morem in Salium sit requies pedum,

---

36. Linquimus *perpauci, in his* B. 39. diffingas *plerique codd.*: defingas Bψ *cum paucis.*

Neu multi Damalis meri
  Bassum Threicia vincat amystide,
Neu desint epulis rosae
  Neu vivax apium neu breve lilium.

Omnes in Damalin putris
  Deponent oculos, nec Damalis novo
Divelletur adultero,
  Lascivis hederis ambitiosior.

XXXVII

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus; nunc Saliaribus
  Ornare pulvinar deorum
    Tempus erat dapibus, sodales.

Antehac nefas depromere Caecubum
Cellis avitis, dum Capitolio
  Regina dementis ruinas
    Funus et imperio parabat

Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
  Sperare fortunaque dulci
    Ebria. Sed minuit furorem

Vix una sospes navis ab ignibus,
Mentemque lymphatam Mareotico
  Redegit in veros timores
    Caesar, ab Italia volantem

Remis adurgens, accipiter velut
Mollis columbas aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Haemoniae, daret ut catenis

Fatale monstrum. Quae generosius
Perire quaerens nec muliebriter
Expavit ensem nec latentis
Classe cita reparavit oras,

Ausa et iacentem visere regiam
Vultu sereno, fortis et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,

Deliberata morte ferocior;
Saevis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

XXXVIII

Persicos odi, puer, apparatus,
Displicent nexae philyra coronae;
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.

I 37. — 24. reparavit *codd.; neque locum mutandum esse arbitror, quamquam emendandi causa multi multa protulerunt, velut* repedavit, peraravit, penetravit, remeavit, properavit, *alia. Cfr. Keller., Epil., p.* 117 *sq.* 26. Voltu *nonnulli, ut* Bπφψ.

Simplici myrto nihil adlabores
Sedulus, curo: neque te ministrum
Dedecet myrtus neque me sub arta
  Vite bibentem.

Q. HORATI FLACCI

CARMINVM

LIBER SECVNDVS

I

Motum ex Metello consule civicum
Bellique causas et vitia et modos
Ludumque Fortunae gravisque
Principum amicitias et arma

Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
Tractas et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Paulum severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes coturno,

II 1. — 12. coturno *codd.*

Insigne maestis praesidium reis
Et consulenti, Pollio, curiae,
Cui laurus aeternos honores
Delmatico peperit triumpho.

Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis auris, iam litui strepunt,
Iam fulgor armorum fugacis
Terret equos equitumque vultus.

Audire magnos iam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis.

Iuno et deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Iugurthae.

Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia proelia
Testatur auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?

Qui gurges aut quae flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniae
Non decoloravere caedes?
Quae caret ora cruore nostro?

---

16. Delmatico AaBRγ *alii*: Dalmatico *complures*. 20. voltus Rφ⟊π *alii*.

Sed ne relictis, Musa procax, iocis
Ceae retractes munera neniae:
Mecum Dionaeo sub antro
Quaere modos leviore plectro.

II

Nullus argento color est avaris
Abdito terris, inimice lamnae
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.

Vivet extento Proculeius aevo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget pinna metuente solvi
Fama superstes.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
Serviat uni.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis et aquosus albo
Corpore languor.

II 2. – 5. vivit φπ. 7. aget *plerique codd.*: agit *nonnulli*, φψλlδ. – pinna $A^1BR^1\gamma$: penna *plerique.* 13. durus *perpauci*, *his* L.

Redditum Cyri solio Prahaten
Dissidens plebi numero beatorum
Eximit virtus populumque falsis
Dedocet uti

Vocibus, regnum et diadema tutum
Deferens uni propriamque laurum,
Quisquis ingentis oculo inretorto
Spectat acervos.

III

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli,

Seu maestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni.

Quo pinus ingens albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis? Quid obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo?

---

17. Prahaten aBφψδπL *alii*: Prahatem λ: Phrahaten γ: Phraaten AR². 18. plebi *plerique codd.*: plebis *pauci, veluti* aπ.

II 3. – 2. in bonis *optimi codd.*: ac bonis *deteriores, quos tamen praetulerunt Bentleius et Peerlkampus.* 11. Quid ABRπϙ *alii*: quo aγ:L *alii*: quod *perpauci.*

Huc vina et unguenta et nimium brevis
Flores amoenae ferre iube rosae,
Dum res et aetas et sororum
Fila trium patiuntur atra.

Cedes coemptis saltibus et domo
Villaque, flavus quam Tiberis lavit,
Cedes, et exstructis in altum
Divitiis potietur heres.

Divesne, prisco natus ab Inacho,
Nil interest an pauper et infima
De gente sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura et nos in aeternum
Exsilium impositura cumbae.

IIII

Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu. Prius insolentem
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem;

Movit Aiacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmessae:

18. lavat AaBL. 28. cumbae *sic* AaBφψRδπ.

Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta,

Barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo victore et ademptus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Grais.

Nescias an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes:
Regium certe genus, et penatis
Maeret iniquos.

Crede non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam, neque sic fidelem,
Sic lucro aversam potuisse nasci
Matre pudenda.

Bracchia et vultum teretisque suras
Integer laudo; fuge suspicari,
Cuius octavum trepidavit aetas
Claudere lustrum.

V

Nondum subacta ferre iugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Aequare nec tauri ruentis
In venerem tolerare pondus.

II 4. — 18. dilectam ABφψλlδπL: delectam aγR *alii*.

Circa virentis est animus tuae
Campos iuvencae, nunc fluviis gravem
Solantis aestum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto

Praegestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvae: iam tibi lividos
Distinguet autumnus racemos
Purpureo varius colore.

Iam te sequetur: currit enim ferox
Aetas, et illi, quos tibi dempserit,
Apponet annos: iam proterva
Fronte petet Lalage maritum,

Dilecta, quantum non Pholoe fugax,
Non Chloris, albo sic umero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiusve Gyges;

Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagacis falleret hospites
Discrimen obscurum solutis
Crinibus ambiguoque vultu.

II 5. — 13. curret Rφψλlδπg. 16. petit γR *alii*. 24. voltu φψπ *cum aliis*.

VI

Septimi, Gadis aditure mecum et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et
Barbaras Syrtis, ubi Maura semper
    Aestuat unda,

Tibur Argeo positum colono
Sit meae sedes utinam senectae,
Sit modus lasso maris et viarum
    Militiaeque!

Unde si Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus Galaesi
Flumen et regnata petam Laconi
    Rura Phalantho.

Ille terrarum mihi praeter omnis
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt viridique certat
    Baca Venafro;

Ver ubi longum tepidasque praebet
Iuppiter brumas, et amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
    Invidet uvis.

II 6. — 5. Argeo *plerique codd.*: Argivo *pauci.* 18. amicus *codd.*: amictus *coniecit Nic. Heinsius.* 19. Fertili AaγBRδπL Fertilis φψλlβ℈ *alii cum Servio.*

Ille te mecum locus et beatae
Postulant arces; ibi tu calentem
Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

VII

O saepe mecum tempus in ultimum
Deducte Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis Italoque caelo,

Pompei, meorum prime sodalium,
Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi, coronatus nitentis
Malobathro Syrio capillos?

Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi relicta non bene parmula,
Cum fracta virtus et minaces
Turpe solum tetigere mento.

Sed me per hostis Mercurius celer
Denso paventem sustulit aere;
Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit aestuosis.

Ergo obligatam redde Iovi dapem,
Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea nec
Parce cadis tibi destinatis.

II 7. — 19. lauru *plerique codd.*: lauro *pauci, ut* g.

Oblivioso levia Massico
Ciboria exple, funde capacibus
Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas

Curatve myrto? Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego sanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est amico.

VIII

Ulla si iuris tibi peierati
Poena, Barine, nocuisset umquam,
Dente si nigro fieres vel uno
Turpior ungui,

Crederem. Sed tu simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo iuvenumque prodis
Publica cura.

Expedit matris cineres opertos
Fallere et toto taciturna noctis
Signa cum caelo gelidaque divos
Morte carentis.

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
Simplices Nymphae, ferus et Cupido
Semper ardentis acuens sagittas
Cote cruenta.

II 8. — 1. peierati *maior pars codd.* cum *Victorino et Servio*: peiurati *Paris.* 8213: per:erati BRL. 2. Varine aγL *alii*.

Adde quod pubes tibi crescit omnis,
Servitus crescit nova, nec priores
Impiae tectum dominae relinquunt,
Saepe minati.

Te suis matres metuunt iuvencis,
Te senes parci miseraeque, nuper
Virgines, nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

VIIII

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros aut mare Caspium
Vexant inaequales procellae
Usque, nec Armeniis in oris,

Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnis, aut aquilonibus
Querqueta Gargani laborant
Et foliis viduantur orni.

Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum, nec tibi Vespero
Surgente decedunt amores
Nec rapidum fugiente solem.

At non ter aevo functus amabilem
Ploravit omnis Antilochum senex
Annos, nec impubem parentes
Troilon aut Phrygiae sorores

II 9. — 6. Menses *omnes codd.*, *sed* omnis *exhibent* AΒγπλ

Flevere semper. Desine mollium
Tandem querellarum, et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten

Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vertices,
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

X

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Litus iniquum.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Saepius ventis agitatur ingens
Pinus et celsae graviore casu
Decidunt turres feriuntque summos
Fulgura montis.

---

18. querellarum, *sic* $A^1R\gamma\delta^1\pi\phi l\beta\tau$ *alii*. 19. tropaea A^1BR: tropea $\pi\phi\lambda$: trophaea aR^2: trophea *plurimi*. 20. Niphatem *admodum pauci*. 22. vertices *codd.*

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus. Informis hiemes reducit
Iuppiter, idem

Summovet. Non, si male nunc, et olim
Sic erit: quondam cithara tacentem
Suscitat Musam neque semper arcum
Tendit Apollo.

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare; sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

XI

Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet Hadria
Divisus obiecto, remittas
Quaerere, nec trepides in usum

Poscentis aevi pauca. Fugit retro
Levis iuventas et decor, arida
Pellente lascivos amores
Canitie facilemque somnum.

II 10. — 18. citharae *pauci, ut* Lφψδ, *sed* y *pro* i *praebent* φψδ.

II 11. — 2. Quincti *sic* AR *et fortasse* a, *ubi littera inter* Quin *et* ti *erasa esse videtur, quamquam virgulam metricam intercedere affirmavit Ritterus.*

Non semper idem floribus est honor
Vernis, neque uno luna rubens nitet
Vultu: quid aeternis minorem
Consiliis animum fatigas?

Cur non sub alta vel platano vel hac
Pinu iacentes sic temere et rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo

Potamus uncti? Dissipat Euhius
Curas edacis. Quis puer ocius
Restinguet ardentis Falerni
Pocula praetereunte lympha?

Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? Eburna, dic, age, cum lyra
Maturet, in comptum Lacaenae
More comas religata nodum.

XII

Nolis longa ferae bella Numantiae
Nec durum Hannibalem nec Siculum mare
Poeno purpureum sanguine mollibus
Aptari citharae modis,

11. Voltu φψδπ *alii*. 16. Assyria *omnes codd.*, *si* B *excipias*, *ubi legitur* Assyrio. 23. in comptum ABλ: incomptum *plerique*: incomtam *cum uno codice Bentleius*. 24. comas *plerique codd.*: comae ABλl: comam φψδπ, *Bentleius*. — nodum *omnes codd.*: nodo *coniecit Bentleius*.

II 12. — 2. durum *omnes paene codd.*: dirum *perpauci*.

Nec saevos Lapithas et nimium mero
Hylaeum domitosque Herculea manu
Telluris iuvenes, unde periculum
    Fulgens contremuit domus

Saturni veteris: tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius ductaque per vias
    Regum colla minacium.

Me dulcis dominae Musa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentis oculos et bene mutuis
    Fidum pectus amoribus;

Quam nec ferre pedem dedecuit choris
Nec certare ioco nec dare bracchia
Ludentem nitidis virginibus sacro
    Dianae celebris die.

Num tu quae tenuit dives Achaemenes
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Licymniae
    Plenas aut Arabum domos,

Cum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem, aut facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi,
    Interdum rapere occupet?

---

25. Cum *maior pars codd.*: Dum φψδπ *alii.* 28. occupat *pauci, ut* δπL.

XIII

Ille et nefasto te posuit die,
Quicumque primum, et sacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem opprobriumque pagi;

Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena Colcha

Et quicquid usquam concipitur nefas
Tractavit, agro qui statuit meo
Te, triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

Quid quisque vitet, numquam homini satis
Cautum est in horas: navita Bosphorum
Poenus perhorrescit neque ultra
Caeca timet aliunde fata,

Miles sagittas et celerem fugam
Parthi, catenas Parthus et Italum
Robur; sed improvisa leti
Vis rapuit rapietque gentis.

II 13. — 15. Poenus *omnes codd.*: Thynus *Lachmannus, Luc. Muellerus, alii.* 16. timet *omnes codd.*: timetve *coniecit Lachmannus*; *nec defuerunt qui Horatio tribuerent* timetque.

Quam paene furvae regna Proserpinae
Et iudicantem vidimus Aeacum
Sedesque discriptas piorum et
Aeoliis fidibus querentem

Sappho puellis de popularibus,
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae, mala dura belli.

Utrumque sacro digna silentio
Mirantur umbrae dicere; sed magis
Pugnas et exactos tyrannos
Densum umeris bibit aure vulgus.

Quid mirum, ubi illis carminibus stupens
Demittit atras belua centiceps
Auris, et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?

Quin et Prometheus et Pelopis parens
Dulci laborem decipitur sono,
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

---

23. discriptas AaB: descriptas Rγπ *alii*: discretas φψλlL. 32. volgus *pauci, ut* φψπ. 38. laborem AaBRφψπ *alii*: laborum *nonnulli, in quibus* Lλlγ.

XIIII

Eheu! fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis et instanti senectae
Adferet indomitaeque morti;

Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places inlacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi

Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicumque terrae munere vescimur,
Enaviganda, sive reges
Sive inopes erimus coloni.

Frustra cruento Marte carebimus
Fractisque rauci fluctibus Hadriae,
Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus austrum.

Visendus ater flumine languido
Cocytos errans et Danai genus
Infame damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.

II 14. – 14. rauci *plerique codd., ut* Rφψλlγ: raucis AaBπ.

Linquenda tellus et domus et placens
Uxor, neque harum, quas colis, arborum
Te praeter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.

Absumet heres Caecuba dignior
Servata centum clavibus et mero
Tinget pavimentum superbo,
Pontificum potiore cenis.

XV

Iam pauca aratro iugera regiae
Moles relinquent, undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu platanusque caelebs

Evincet ulmos; tum violaria et
Myrtus et omnis copia narium
Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priori;

Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli
Praescriptum et intonsi Catonis
Auspiciis veterumque norma.

---

27. superbo *omnes codd.*: superbus *coniecit Barthius*: superbum *Lambinus et Fabricius*: superbis *ex Lynfordi coniectura receperunt Kellerus et Haeussnerus.*

II 15. — 10. aestus *se in nonnullis codd. invenisse affirmavit Lambinus.*

Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton,

Nec fortuitum spernere caespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu iubentes et deorum
Templa novo decorare saxo.

XVI

Otium divos rogat in patenti
Prensus Aegaeo, simul atra nubes
Condidit lunam neque certa fulgent
Sidera nautis;

Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura ve-
nale neque auro.

Non enim gazae neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis et curas laqueata circum
Tecta volantis.

---

17. cespitem *codd.*

II 16. — 1. patenti *omnes prope codd.*: patente *cum Batteliano suo Bentleius.*

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum
Nec levis somnos timor aut cupido
Sordidus aufert.

Quid brevi fortes iaculamur aevo
Multa? Quid terras alio calentis
Sole mutamus? Patriae quis exsul
Se quoque fugit?

Scandit aeratas vitiosa navis
Cura nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis et agente nimbos
Ocior Euro.

Laetus in praesens animus quod ultra est
Oderit curare et amara lento
Temperet risu; nihil est ab omni
Parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus,
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.

Te greges centum Siculaeque circum
Mugiunt vaccae, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa, te bis Afro
Murice tinctae

---

22. relinquit *admodum pauci, in his* Rpr. δpr.

Vestiunt lanae; mihi parva rura et
Spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit et malignum
Spernere vulgus.

XVII

Cur me querellis exanimas tuis?
Nec dis amicum est nec mihi te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus columenque rerum.

A! te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus aeque nec superstes
Integer? Ille dies utramque

Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcumque praecedes, supremum
Carpere iter comites parati.

Me nec Chimaerae spiritus igneae
Nec, si resurgat, centimanus Gigas
Divellet umquam: sic potenti
Iustitiae placitumque Parcis.

---

40. volgus φψ *alii pauci.*

II 17. — 1. querellis *vel* quaerellis ARπβτ *alii.* 14. Gigas *codd., nisi quod* gigans *exhibet* R: Gyas *protulit Lambinus*: Gyges *Muretus, Bentleius, Peerlkampus.*

Seu Libra seu me Scorpios aspicit
Formidolosus, pars violentior
Natalis horae, seu tyrannus
Hesperiae Capricornus undae,

Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. Te Iovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit volucrisque fati

Tardavit alas, cum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit sonum;
Me truncus inlapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum

Dextra levasset, Mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas
Aedemque votivam memento;
Nos humilem feriemus agnam.

XVIII

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar,
Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas

---

17. Scorpios BRφψ: Scorpius *plerique*. 19. Natalis *maior pars codd.*: Loetalis, Letalis *nonnulli*, *ut* φψδπ. 25. cum *plerique*: tum Rπ *corr.*: tunc *perpauci*: te φψδπ*pr.*: cui *coniecit Lachmannus*.

Africa, neque Attali
    Ignotus heres regiam occupavi,
Nec Laconicas mihi
    Trahunt honestae purpuras clientae.

At fides et ingeni
    Benigna vena est, pauperemque dives
Me petit: nihil supra
    Deos lacesso nec potentem amicum

Largiora flagito,
    Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
    Novaeque pergunt interire lunae:

Tu secanda marmora
    Locas sub ipsum funus et sepulcri
Immemor struis domos
    Marisque Bais obstrepentis urges

Summovere litora,
    Parum locuples continente ripa.
Quid quod usque proximos
    Revellis agri terminos et ultra

Limites clientium
    Salis avarus? Pellitur paternos
In sinu ferens deos
    Et uxor et vir sordidosque natos.

II 18. — 8. clientae AB *Charisius*: clientiae aγR *alii*: clientes, φψλδπL *alii*.

Nulla certior tamen
    Rapacis Orci fine destinata
Aula divitem manet
    Erum. Quid ultra tendis? Aequa tellus

Pauperi recluditur
    Regumque pueris, nec satelles Orci
Callidum Promethea
    Revexit auro captus. Hic superbum

Tantalum atque Tantali
    Genus coercet, hic levare functum
Pauperem laboribus
    Vocatus atque non vocatus audit.

XVIIII

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem — credite posteri —
    Nymphasque discentis et auris
        Capripedum Satyrorum acutas.

Euhoe! recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
    Laetatur. Euhoe! parce Liber,
        Parce, gravi metuende thyrso!

---

30. **Rapacis** *omnes codd.*: **Capacis** *corrigendum esse opinatus est Bentleius.* — **fine** *boni codd.*: **sede** *nonnulli deteriores iidemque recentiores cum Servio, probante Bentleio.* 36. **Revexit** AaRλL *aliī*: **revinxit** *nonnulli, ut* δ *corr.* π: **revixit** γφψδ *pr.* 38. **coercet** B: **cohercet** *ceteri.*

Fas pervicacis est mihi Thyiadas
Vinique fontem, lactis et uberes
Cantare rivos atque truncis
Lapsa cavis iterare mella:

Fas et beatae coniugis additum
Stellis honorem tectaque Penthei
Disiecta non leni ruina
Thracis et exitium Lycurgi.

Tu flectis amnes, tu mare barbarum,
Tu separatis uvidus in iugis
Nodo coerces viperino
Bistonidum sine fraude crinis.

Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis
Unguibus horribilique mala;

Quamquam choreis aptior et iocis
Ludoque dictus non sat idoneus
Pugnae ferebaris; sed idem
Pacis eras mediusque belli.

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, et recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

II 19. — 9. sit, *repugnantibus codd.*, *scripsit Bentleius, qui recte* Thyiadas *restituit*: Thyadas, Thiadas, Tyadas *exhibent codd.* 19. coerces aBRgπ: coherces *ceteri.*

XX

Non usitata nec tenui ferar
Pinna biformis per liquidum aethera
Vates, neque in terris morabor
Longius invidiaque maior

Urbes relinquam. Non ego, pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Maecenas, obibo
Nec Stygia cohibebor unda.

Iam iam residunt cruribus asperae
Pelles et album mutor in alitem
Superne, nascunturque leves
Per digitos umerosque plumae.

Iam Daedaleo ocior Icaro
Visam gementis litora Bosphori
Syrtisque Gaetulas canorus
Ales Hyperboreosque campos.

Me Colchus et, qui dissimulat metum
Marsae cohortis, Dacus et ultimi
Noscent Geloni, me peritus
Discet Hiber Rhodanique potor.

II 20. — 1. usitata *omnes codd.*: visitata *Bergkius*. — non *pro eo quod est* nec *pauci, in his* L1. 2. pinna BR *alii*. 6. quem vocas *omnes codd.*: quem vocant *emendandum esse existimavit Bentleius*. 13. ocior φψδL *alii*: notior AaBRlγ *alii*: tutior *coniecit Bentleius, sed* ocior *retinuit: eius coniecturam commendavit Lachmannus*.

Absint inani funere neniae
Luctusque turpes et querimoniae;
Compesce clamorem ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

Q. HORATI FLACCI

CARMINVM

LIBER TERTIVS

I

ODI profanum vulgus et arceo.
Favete linguis! carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis, hic generosior
Descendat in campum petitor,
Moribus hic meliorque fama

III 1. – 1. volgus δπ *cum aliis paucis.*

Contendat, illi turba clientium
Sit maior: aequa lege necessitas
Sortitur insignis et imos;
Omne capax movet urna nomen.

Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus

Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humilis domos
Fastidit umbrosamque ripam,
Non zephyris agitata Tempe.

Desiderantem quod satis est neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus aut orientis Haedi,

Non verberatae grandine vineae
Fundusque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.

Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis in altum molibus: huc frequens
Caementa demittit redemptor
Cum famulis dominusque terrae

17. Districtus φψλlπL *alii*. 35. dimittit *pauci*, *velut* λgβ.

Fastidiosus. Sed Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit aerata triremi et
Post equitem sedet atra Cura.

Quodsi dolentem nec Phrygius lapis
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus nec Falerna
Vitis Achaemeniumque costum,

Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

II

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat et Parthos ferocis
Vexet eques metuendus hasta

Vitamque sub divo et trepidis agat
In rebus. Illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens et adulta virgo

---

39. et *perpauci, in his* δ1β: *omiserunt ceteri.* 43. Delenit ABRπ *alii*: Delinit Lφψγλlδ *alii.* – Falerna *plerique codd.*: Falernae RLγ *cum paucis.* 44. Vitis Rφψλlδπ *alii*: Vites AaBLγ *alii.*

III 2. – 1. amice *plerique codd.*: amici *perpauci, in his* R^{2} g, *probante Bentleio.*

Suspiret, eheu! ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.

Dulce et decorum est pro patria mori:
Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis iuventae
Poplitibus timidove tergo.

Virtus, repulsae nescia sordidae,
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.

Virtus, recludens immeritis mori
Caelum, negata temptat iter via,
Coetusque vulgaris et udam
Spernit humum fugiente pinna.

Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus fragilemque mecum

Solvat phaselon. Saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum;
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

---

14. prosequitur δ *cum aliis paucis.* 16. ve AaBγ *alii*: que RφψλlδπL. 27. Volgarit RφψδπL: Vulgavit Aaγ *alii.* 28. que *omnes codd.*: ve *maluit Bentleius.* 29. phaselum Lπ *cum paucis*

III

Iustum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida neque Auster,

Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis:
Si fractus inlabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus arces attigit igneas,
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibet ore nectar.

Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres, indocili iugum
Collo trahentes; hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,

Gratum elocuta consiliantibus
Iunone divis: 'Ilion, Ilion
Fatalis incestusque iudex
Et mulier peregrina vertit

III 3. — 3. voltus φψδπL. 7. inlabatur Bγφψπ *alii*: illabatur δL: inlabetur *vel* illabetur *nonnulli*. 10. enisus AaRγλ'β: innisus φψδπLτ *alii*. 12. bibet AaRγλlτ: bibit φψδπL *alii pauci, quos secutus est Bentleius*.

In pulverem, ex quo destituit deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Castaeque damnatum Minervae
Cum populo et duce fraudulento.

Iam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus hospes nec Priami domus
Periura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit,

Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protinus et gravis
Iras et invisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,

Marti redonabo; illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Sucos et adscribi quietis
Ordinibus patiar deorum.

Dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
In parte regnanto beati;
Dum Priami Paridisque busto

Insultet armentum et catulos ferae
Celent inultae, stet Capitolium
Fulgens triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.

---

21. ex qua *coniecit Lachmannus.* 23. damnatum *omnes codd.* : damnatam *Bentleius*; *probaverunt Lachmannus, Luc. Muellerus, alii.* 34. ducere Aaλ*l* *cum paucis*: discere RLπϕψδγτβ *alii.*

Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus,

Aurum inrepertum et sic melius situm,
Cum terra celat, spernere fortior
Quam cogere humanos in usus
Omne sacrum rapiente dextra.

Quicumque mundo terminus obstitit,
Hunc tanget armis, visere gestiens
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae pluviique rores.

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii
Rebusque fidentes avitae
Tecta velint reparare Troiae.

Troiae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Coniuge me Iovis et sorore.

Ter si resurgat murus aeneus
Auctore Phoebo, ter pereat meis
Excisus Argivis, ter uxor
Capta virum puerosque ploret.'

---

54. tangat *Bentleius cum perpaucis codd.* 55. debacchentur *optimi codd.* debacchantur *Luc. Muellerus.* 66. Auctore *omnes prope codd.*: Ductore *admodum pauci*: Structore *coniecit Bentleius*; *nihil tamen mutavit, cum illud* Auctore *recepisset.*

Non hoc iocosae conveniet lyrae:
Quo, Musa, tendis? Desine pervicax
Referre sermones deorum et
Magna modis tenuare parvis.

IIII

Descende caelo et dic age tibia
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus citharave Phoebi.

Auditis, an me ludit amabilis
Insania? Audire et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae.

Me fabulosae Volture in Apulo
Nutricis extra limen Apuliae
Ludo fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes

69. conveniat L *cum paucis.* 70. tendes *admodum pauci, in his* Aa: tendis *ceteri.*

III 4. — 4. que δ, *probante Luc. Muellero*: ve *ceteri.* 9. Apulo *omnes codd.*: avio *coniecit Kellerus.* 10. Altricis *admodum pauci, in his* Lδ. — limen Apuliae φψγλlδπ *alii*: limina Pulliae AaBR: *quo factum est ut complures a doctis lectiones prolatae sint, veluti* limina Dauniae (*a Paldamo*), limina sedulae (*a Bentleio*), *aliae.*

Texere, mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsae nidum Acherontiae
Saltusque Bantinos et arvum
Pingue tenent humilis Forenti,

Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis, ut premerer sacra
Lauroque collataque myrto,
Non sine dis animosus infans.

Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos, seu mihi frigidum
Praeneste seu Tibur supinum
Seu liquidae placuere Baiae.

Vestris amicum fontibus et choris
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non extinxit arbor,
Nec Sicula Palinurus unda.

Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosphorum
Temptabo et urentis harenas
Litoris Assyrii viator;

Visam Britannos hospitibus feros
Et laetum equino sanguine Concanum;
Visam pharetratos Gelonos
Et Scythicum inviolatus amnem.

---

16. Forenti AaBRLγτ *alii*: Ferenti φψδλlπ. 31. urentis AaRLγλl: urentes B *cum paucis*: arentis δπ: arentes φψ *alii pauci*.

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes addidit oppidis,
Finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro.

Vos lene consilium et datis et dato
Gaudetis, almae. Scimus, ut impios
Titanas immanemque turbam
Fulmine sustulerit caduco,

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes regnaque tristia
Divosque mortalisque turmas
Imperio regit unus aequo.

Magnum illa terrorem intulerat Iovi
Fidens iuventus horrida bracchiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.

Sed quid Typhoeus et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhoetus evulsisque truncis
Enceladus iaculator audax

38. addidit Bφψβ *Parisinus* 7973: abdidit *plerique, in hi* AaRγλl: reddidit *Parisinus* 8213 *cum aliis paucis.* 43. tur mam *nonnulli, veluti* φψδπL; *receperunt Bentleius, Luc. Muellerus* 44. corusco *pro* caduco *ex coniectura Bentleius.* 47. turbas *pauc* *in his* Rγ, *probantibus Bentleio, Luc. Muellero.*

Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Volcanus, hinc matrona Iuno et
Numquam umeris positurus arcum,

Qui rore puro Castaliae lavit
Crinis solutos, qui Lyciae tenet
Dumeta natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.

Vis consili expers mole ruit sua:
Vim temperatam di quoque provehunt
In maius; idem odere vires
Omne nefas animo moventis.

Testis mearum centimanus Gigas
Sententiarum, notus et integrae
Temptator Orion Dianae,
Virginea domitus sagitta.

Iniecta monstris Terra dolet suis
Maeretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum; nec peredit
Impositam celer ignis Aetnen,

Incontinentis nec Tityi iecur
Reliquit ales, nequitiae additus
Custos; amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.

69. Gigas *omnes codd.*: Gyas *Lambinus*: Gyges *Bentleius, Peerlkampus.* 78. Relinquit Lδ *cum paucis, quos secutus est Bentleius.*

V

Caelo tonantem credidimus Iovem
Regnare; praesens divus habebitur
Augustus adiectis Britannis
Imperio gravibusque Persis.

Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus vixit et hostium
— Pro curia inversique mores! —
Consenuit socerorum in armis

Sub rege Medo Marsus et Apulus,
Anciliorum et nominis et togae
Oblitus aeternaeque Vestae,
Incolumi Iove et urbe Roma?

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis condicionibus
Foedis et exemplo trahentis
Perniciem veniens in aevum,

Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. 'Signa ego Punicis
Adfixa delubris et arma
Militibus sine caede' dixit

III 5. — 8. armis *omnes codd.*: arvis *coniecit Tan. Faber*, *recepit Bentleius*. 10. Anciliorum et *coniunctionem omiserunt* AaBγλl *alii*. 15. exemplo trahentis *omnes ad unum codd.*: exemplo trahenti *coniecit Canterus*, *multis probantibus*, *in his Bentleio*, *quamquam hic* exempli trahentis *Horatium scripsisse affirmavit*. 17. periret *codd.*: perirent *Glareanus*: perires *Lachmannus*.

'Derepta vidi; vidi ego civium
Retorta tergo bracchia libero
Portasque non clausas et arva
Marte coli populata nostro.

Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit! Flagitio additis
Damnum: neque amissos colores
Lana refert medicata fuco,

Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis

Qui perfidis se credidit hostibus,
Et Marte Poenos proteret altero
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners timuitque mortem.

Hic, unde vitam sumeret inscius,
Pacem duello miscuit! O pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiae ruinis!'

---

21. Direpta *omnes fere codd.*: Derepta R *cum paucis.* 25. redemptus ℨ. 36, 37. mortem Hinc, unde vitam sumeret aptius *coniecit Bentleius*: hic *omnes codd.*: aptius Lδ *cum paucis*: inscius AaBRφψλlγπgβτ: anxius *ex Kreussleri coniectura recepit Luc. Muellerus.* 38. Pacem et duello *maluit Bentleius*, *adversantibus codd.*

Fertur pudicae coniugis osculum
Parvosque natos ut capitis minor
Ab se removisse et virilem
Torvus humi posuisse vultum,

Donec labantis consilio patres
Firmaret auctor numquam alias dato,
Interque maerentis amicos
Egregius properaret exsul.

Atqui sciebat quae sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantis propinquos
Et populum reditus morantem,

Quam si clientum longa negotia
Disiudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros
Aut Lacedaemonium Tarentum.

VI

Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris
Aedisque labentis deorum et
Foeda nigro simulacra fumo.

---

44. voltum *nonnulli, veluti* φψδπ. 51. propinquos AaBRγλl *alii*: amicos φψδπL *cum paucis.* 54. Disiudicata φψδλlπLτ *alii*: Diiudicata *aliquot codd.*

Dis te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.

Iam bis Monaeses et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros et adiecisse praedam
Torquibus exiguis renidet.

Paene occupatam seditionibus
Delevit Urbem Dacus et Aethiops,
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.

Fecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo et fingitur artibus
Iam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui.

III 6. — 10. Inauspicatos *pauci, in his* AaBλ*l*. 11. Nostris *nonnulli Prisciani codd., probante Bentleio; quamquam hic etiam* nostrorum *legi posse arbitratus est.* 22. Matura *omnes codd.*: Acerba *Luc. Muellerus*: Romana *Lehrsius*: A matre *coniecit Peerlkampus.* — artibus AaRλγτ *alii*: artubus φψδ*l*πLβ *alii cum Porphyrione.*

Mox iuniores quaerit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit
Cui donet impermissa raptim
Gaudia luminibus remotis,

Sed iussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emptor.

Non his iuventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum;

Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glaebas et severae
Matris ad arbitrium recisos

Portare fustis, sol ubi montium
Mutaret umbras et iuga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

---

27. inpermissa Rψλιδπ L *alii*: impermissa φβ: intermissa Aaγτ *cum aliis paucis*. 30. cum *pro* seu Rπδσ. 35. et *omis.* φψδπl. 36. dirum *maior pars codd.*: durum φψ *alii*. 42. Bobus φψλιδL: Bubus AaRγπτ *alii*.

VII

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii
Thyna merce beatum,
Constantis iuvenem fide,

Gygen? Ille Notis actus ad Oricum
Post insana Caprae sidera frigidas
Noctes non sine multis
Insomnis lacrimis agit.

Atqui sollicitae nuntius hospitae,
Suspirare Chloen et miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Temptat mille vafer modis.

Ut Proetum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus nimis
Casto Bellerophontae
Maturâre necem refert;

Narrat paene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens;
Et peccare docentis
Fallax historias monet;

III 7. — 4. fidei *cum plerisque codd. Kellerus*: fide *cum suis Bentleius, probavit Luc. Muellerus.* 20. movet *pauci, veluti* φψlg.

Frustra: nam scopulis surdior Icari
Voces audit adhuc integer. At tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus iusto placeat cave;

Quamvis non alius flectere equum sciens
Aeque conspicitur gramine Martio,
Nec quisquam citus aeque
Tusco denatat alveo.

Prima nocte domum claude neque in vias
Sub cantu querulae despice tibiae,
Et te saepe vocanti
Duram difficilis mane.

VIII

Martiis caelebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores et acerra turis
Plena miraris positusque carbo in
Caespite vivo,

Docte sermones utriusque linguae?
Voveram dulcis epulas et album
Libero caprum prope funeratus
Arboris ictu.

---

30. Sub cantum *aliquot codd., in his* Rδπ.

III 8. — 8. in *omis.* AaBλlgσ *alii pauci.* 5. sermones *perpauci, in his* Rτ: sermonis *plerique codd.*

Hic dies anno redeunte festus
Corticem adstrictum pice demovebit
Amphorae, fumum bibere institutae
Consule Tullo.

Sume, Maecenas, cyathos amici
Sospitis centum et vigilis lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor et ira.

Mitte civilis super urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis.

Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena,
Iam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.

Neglegens, nequa populus laboret,
Parce privatus nimium cavere et
Dona praesentis cape laetus horae ac
Linque severa.

---

10. demovebit R *unus Prisciani cod.*: dimovebit *ceteri*. 14. Hospitis *pauci*, *ut* alδ: Sospitis *omnes ceteri*. 15. Profer Lτ *cum paucis*. 19. infestis *admodum pauci*, *in his* τ: infestis sibi luctuosus *ex coniectura Nic. Heinsius*, *probavit Bentleius*, *qui se eadem in codice Galeano legisse affirmavit*. 27. rape *nonnulli*, *veluti* Lφ¦δ. — ac *admodum pauci*, *ut* Aa: *omiserunt* BRφψλlδγπLτ *alii*: et *pro* ac *scripsit Bentleius*, *verum* et *in versu anteced. delevit*.

VIIII

'Donec gratus eram tibi
Nec quisquam potior bracchia candidae
Cervici iuvenis dabat,
Persarum vigui rege beatior.'

'Donec non alia magis
Arsisti neque erat Lydia post Chloen,
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.'

'Me nunc Thressa Chloe regit,
Dulcis docta modos et citharae sciens,
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animae fata superstiti.'

'Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti,
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.'

'Quid si prisca redit Venus
Diductosque iugo cogit aeneo?
Si flava excutitur Chloe
Reiectaeque patet ianua Lydiae?'

III 9. — 5. aliam *nonnulli, in his lδ Parisini* 7973, 8213, *probante Bentleio.* 9. riget φψλlδπ *alii.* 17. Quod si *pauci, veluti* A alγ. 18. Deductos *perpauci, ut* Bλψ.

'Quamquam sidere pulchrior
Ille est, tu levior cortice et improbo
Iracundior Hadria,
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.'

X

Extremum Tanain si biberes, Lyce,
Saevo nupta viro, me tamen asperas
Porrectum ante fores obicere incolis
Plorares Aquilonibus.

Audis, quo strepitu ianua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis, et positas ut glaciet nives
Puro numine Iuppiter?

Ingratam Veneri pone superbiam,
Ne currente retro funis eat rota.
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.

O quamvis neque te munera nec preces
Nec tinctus viola pallor amantium
Nec vir Pieria paelice saucius
Curvat, supplicibus tuis

---

21. Quamvis φψδπL *cum aliis paucis.*

III 10. — 1. Tanain *omnes prope codd.*: Tanaim R *cum perpaucis.* 3. Porrectum *codd.*: Proiectum *coniecit Bentleius.* 6, 7. situm φψδL *alii pauci.* — tecta remugiat? Sentis *interrogationis nota distinxit Bentleius, ut* Sentis *pro* Ventis *reponeret.*

Parcas, nec rigida mollior aesculo
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit liminis aut aquae
Caelestis patiens latus.

XI

Mercuri — nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo —
Tuque testudo resonare septem
Callida nervis,

Nec loquax olim neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet auris;

Quae velut latis equa trima campis
Ludit exsultim metuitque tangi,
Nuptiarum expers et adhuc protervo
Cruda marito.

Tu potes tigris comitesque silvas
Ducere et rivos celeris morari;
Cessit immanis tibi blandienti
Ianitor aulae

18. animo γτλβ *cum aliis paucis.*

Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput eius atque
Spiritus taeter saniesque manet
    Ore trilingui.

Quin et Ixion Tityosque vultu
Risit invito, stetit urna paulum
Sicca, dum grato Danai puellas
    Carmine mulces.

Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum poenas et inane lymphae
Dolium fundo pereuntis imo
    Seraque fata,

Quae manent culpas etiam sub Orco.
Impiae, — nam quid potuere maius? —
Impiae sponsos potuere duro
    Perdere ferro!

Una de multis face nuptiali
Digna periurum fuit in parentem
Splendide mendax et in omne virgo
    Nobilis aevum,

'Surge' quae dixit iuveni marito,
'Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur; socerum et scelestas
    Falle sorores,

III 11. — 17-20. *Hos versus a quodam librorum corruptore Horatianis additos esse multi demonstrare studuerunt; ego vero ab Horatio non abiudicandos esse arbitror.* 21. voltu φψπδ.

Quae, velut nactae vitulos leaenae,
Singulos eheu! lacerant: ego illis
Mollior nec te feriam neque intra
Claustra tenebo.

Me pater saevis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci;
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.

I, pedes quo te rapiunt et aurae,
Dum favet nox et Venus; i secundo
Omine, et nostri memorem sepulcro
Scalpe querellam.'

XII

Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci
mala vino lavere aut exanimari metuentis
patruae verbera linguae.

Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas
operosaeque Minervae studium aufert, Neobule,
Liparaei nitor Hebri,

Simul unctos Tiberinis umeros lavit in undis,
eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
neque segni pede victus;

---

51. i *omiserunt nonnulli, ut* δπL *Parisinus* 7978. **52. Sculpe** Lϟ *cum aliis paucis; recepit Peerlkampus.*

Catus idem per apertum fugientis agitato
grege cervos iaculari et celer arto latitantem
fruticeto excipere aprum.

XIII

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero non sine floribus,
Cras donaberis haedo,
Cui frons turgida cornibus

Primis et venerem et proelia destinat;
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi suboles gregis.

Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere, tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes et pecori vago.

Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

III 12. — 11. et *omiserunt* ABλlδ *alii*. — arto Rφψλlδπ *alii multi*: alto AaBγLβτ *alii*.

III 13. — 1. Bandusiae ABλφψπτ *alii*: Blandusiae *nonnulli, velut* aRγl *cum aliquot edit*. — candidior *Servius et Victorinus de metris Horat*. 16. Lymphae *omnes paene codd.*: Nymphae *vel* Nimphae *pauci, ut* δφψπ.

XIIII

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiisse laurum,
Caesar Hispana repetit penatis
    Victor ab ora.

Unico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata divis,
Et soror clari ducis et decorae
    Supplice vitta

Virginum matres iuvenumque nuper
Sospitum. Vos, o pueri et puellae
Iam virum expertae, maleominatis
    Parcite verbis.

Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas; ego nec tumultum
Nec mori per vim metuam tenente
    Caesare terras.

I, pete unguentum, puer, et coronas
Et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum siqua potuit vagantem
    Fallere testa.

III 14. — 6. sacris *pro* divis AaBλ*l alii*: castis operata sacris *Bentleius*. 7. cari Rφψδπ *alii pauci*. 11. maleominatis *scribendum esse recte animadvertit Kellerus*; *ceterum* male ominatis *exhibent* Lγβ *alii*: male nominatis *plerique*: male inominatis *coniecit Bentleius*. 14. Exiget B: Exigit π *cum Prisciano*.

Dic et argutae properet Neaerae
Murreum nodo cohibere crinem;
Si per invisum mora ianitorem
Fiet, abito.

Lenit albescens animos capillus
Litium et rixae cupidos protervae;
Non ego hoc ferrem calidus iuventa
Consule Planco.

XV

Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiae fige modum tuae
Famosisque laboribus:
Maturo propior desine funeri

Inter ludere virgines,
Et stellis nebulam spargere candidis.
Non, siquid Pholoen satis,
Et te, Chlori, decet: filia rectius

Expugnat iuvenum domos,
Pulso Thyias uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Lascivae similem ludere capreae;

22. Murreum *omnes fere codd.*: Myrreum *Paris.* 8213 *cum aliis perpaucis.* — cohibere *omnes ad unum codd.*: cohibente *correxerunt Muretus et Bentleius, probante Luc. Muellero.*

III 15. — 2. fige *maior pars codd.*: pone *nonnulli, in his* Rγτβ

Te lanae prope nobilem
    Tonsae Luceriam, non citharae decent
Nec flos purpureus rosae
    Nec poti vetulam faece tenus cadi.

XVI

Inclusam Danaen turris aenea
Robustaeque fores et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
    Nocturnis ab adulteris,

Si non Acrisium, virginis abditae
Custodem pavidum, Iuppiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
    Converso in pretium deo.

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo: concidit auguris
    Argivi domus, ob lucrum

Demersa exitio; diffidit urbium
Portas vir Macedo et subruit aemulos
Reges muneribus; munera navium
    Saevos inlaqueant duces.

---

16. vetulam *pauci cum* RL: vetula *plerique codd.*

III 16. — 18. Dimersa *nonnulli, ut* Aδπ⁚.τ. — excidio πL *cum aliis paucis.*

Crescentem sequitur cura pecuniam
Maiorumque fames. Iure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
    Maecenas, equitum decus.

Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab dis plura feret: nil cupientium
Nudus castra peto et transfuga divitum
    Partis linquere gestio,

Contemptae dominus splendidior rei,
Quam si, quicquid arat impiger Apulus,
Occultare meis dicerer horreis,
    Magnas inter opes inops.

Purae rivus aquae silvaque iugerum
Paucorum et segetis certa fides meae
Fulgentem imperio fertilis Africae
    Fallit sorte beatior.

Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
Nec Laestrygonia Bacchus in amphora
Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
    Crescunt vellera pascuis;

Importuna tamen pauperies abest,
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
    Vectigalia porrigam,

---

22. Ab Δαφψλιδπ L *alii*: A Rγτ *alii pauci*. 31. Fulgente, *repugnantibus codd.*, *Bentleius*. 39. Contracta *pauci*, *in his* Ͻg.

Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa: bene est, cui deus obtulit
Parca quod satis est manu.

XVII

Aeli vetusto nobilis ab Lamo
— Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos et nepotum
Per memores genus omne fastos;

Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps et innantem Maricae
Litoribus tenuisse Lirim,

Late tyrannus —, cras foliis nemus
Multis et alga litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet, aquae nisi fallit augur

Annosa cornix. Dum potis, aridum
Compone lignum: cras Genium mero
Curabis et porco bimenstri
Cum famulis operum solutis.

III 17. — 2-5. *Sunt qui putent hos versus ab Horati manu profectos non esse; qui quidem num recte sentiant magnopere dubito* 4. fastus Rφψδπ *alii.* 5. ducis *omnes ad unum codd.*: ducit *coniecit D. Heinsius, assentiente Bentleio.* 13. potis *pauci, in his.* δlψ². : potes *maior pars codd.*

XVIII

Faune, Nympharum fugientum amator,
Per meos finis et aprica rura
Lenis incedas abeasque parvis
Aequus alumnis,

Si tener pleno cadit haedus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina craterae, vetus ara multo
Fumat odore.

Ludit herboso pecus omne campo,
Cum tibi Nonae redeunt Decembres;
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus;

Inter audaces lupus errat agnos;
Spargit agrestis tibi silva frondes;
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

XVIIII

Quantum distet ab Inacho
Codrus pro patria non timidus mori
Narras et genus Aeaci
Et pugnata sacro bella sub Ilio:

III 18. — 7. craterae aBRgσ *alii*: creterrae *nonnulli cum* ℨλδπ. 12. pagus *plerique codd.*: pardus Rφψπ *alii*.

Quo Chium pretio cadum
Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo praebente domum et quota
Paelignis caream frigoribus, taces.

Da lunae propere novae,
Da noctis mediae, da, puer, auguris
Murenae: tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.

Qui Musas amat imparis,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates; tris prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia

Nudis iuncta sororibus.
Insanire iuvat: cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae?
Cur pendet tacita fistula cum lyra?

Parcentis ego dexteras
Odi: sparge rosas; audiat invidus
Dementem strepitum Lycus
Et vicina seni non habilis Lyco.

Spissa te nitidum coma,
Puro te similem, Telephe, Vespero
Tempestiva petit Rhode;
Me lentus Glycerae torret amor meae.

---

12. Miscentur *omnes codd.*: Miscentor *ex Rutgersii et Nic. Heinsii emendatione receperunt Bentleius, Muellerus, Kellerus, alii: ego codicum lectionem retinendam esse censeo.* 27. petet φψδπL *alii.* — Rhode AaBγR λ'βτ: Chloe *vel* Cloe φ¦δπl.Ɛg *alii.*

XX

Non vides quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
Dura post paulo fugies inaudax
Proelia raptor,

Cum per obstantis iuvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum:
Grande certamen, tibi praeda cedat,
Maior an illa.

Interim, dum tu celeris sagittas
Promis, haec dentes acuit timendos,
Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam

Fertur et leni recreare vento
Sparsum odoratis umerum capillis,
Qualis aut Nireus fuit aut aquosa
Raptus ab Ida.

XXI

O nata mecum consule Manlio,
Seu tu querellas sive geris iocos
Seu rixam et insanos amores
Seu facilem, pia testa, somnum,

Quocumque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die,
Descende, Corvino iubente
Promere languidiora vina.

Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negleget horridus:
Narratur et prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus.

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro; tu sapientium
Curas et arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo;

Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresque et addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices neque militum arma.

Te Liber et si laeta aderit Venus
Segnesque nodum solvere Gratiae
Vivaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus.

III 21. — 5. numine BR *cum perpaucis*. 10. neglegit *nonnulli, in his* AlL*pr.*, *probantibus Bentleio, Luc. Muellero*: negligit B: *futurum exhibent plerique codd.* 12. caluisse *codd.*: incaluisse *Victorinus, assentiente Bentleio; improbavit Lachmannus.* 13. amoves γL: admoves *vel* ammoves (ammovis Aaλ) *omnes prope codd.*

XXII

Montium custos nemorumque, Virgo,
Quae laborantis utero puellas
Ter vocata audis adimisque leto,
Diva triformis,

Imminens villae tua pinus esto,
Quam per exactos ego laetus annos
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

XXIII

Caelo supinas si tuleris manus
Nascente luna, rustica Phidyle,
Si ture placaris et horna
Fruge Lares avidaque porca,

Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis nec sterilem seges
Robiginem aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.

Nam quae nivali pascitur Algido
Devota quercus inter et ilices
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, pontificum secures

III 23. — 7. Robiginem *admodum pauci, veluti* A^1R^1 : Rubiginem *ceteri.* 12. securim δgσ *alii, recepit Bentleius*: secures *vel* securis *plerique.*

Cervice tinget: te nihil attinet
Temptare multa caede bidentium
Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto.

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penatis
Farre pio et saliente mica.

XXIIII

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae
Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum:

Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.

---

19. Mollivit RLγβτ *alii*: Mollibit Aaφψλlδ *alii*: *utramque lectionem praebet* π.

III 24. – 4. Terrenum omne tuis et mare publicum *coniecit Lachmannus, probante Luc. Muellero cum aliis. Certe quidem pro eo quod est* Apulicum *legitur* publicum *in* RγπLτg, *Blandin. vetustiss., Bruxellensi*: Ponticum *exhibent* AaBλl *alii*: Apulicum φψδ *Parisini* 7973, 8213, *alii pauci*. 7. animos R *cum perpaucis*.

Campestres melius Scythae,
    Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt et rigidi Getae,
    Immetata quibus iugera liberas

Fruges et Cererem ferunt,
    Nec cultura placet longior annua,
Defunctumque laboribus
    Aequali recreat sorte vicarius.

Illic matre carentibus
    Privignis mulier temperat innocens,
Nec dotata regit virum
    Coniunx nec nitido fidit adultero.

Dos est magna parentium
    Virtus et metuens alterius viri
Certo foedere castitas,
    Et peccare nefas aut pretium est mori.

O quisquis volet impias
    Caedes et rabiem tollere civicam,
Si quaeret PATER VRBIVM
    Subscribi statuis, indomitam audeat

Refrenare licentiam,
    Clarus post genitis: quatenus, heu nefas!
Virtutem incolumem odimus,
    Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

---

25. O quis quis aφψλ*lg*: O quis, quis *Bentleius*. 26. aut *pro* et φψδπL *alii pauci*. 27. quaerit *vel* querit *aliquot codd.*, *in his* φψδπ.

Quid tristes querimoniae,
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt, si neque fervidis

Pars inclusa caloribus
Mundi nec Boreae finitimum latus
Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt, horrida callidi

Vincunt aequora navitae,
Magnum pauperies opprobrium iubet
Quidvis et facere et pati
Virtutisque viam deserit arduae?

Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat et turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas et lapides aurum et inutile,

Summi materiem mali,
Mittamus, scelerum si bene paenitet.
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa et tenerae nimis

Mentes asperioribus
Formandae studiis. Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer
Venarique timet, ludere doctior,

---

39. gelu *pro eo quod est* solo *coniecit Bentleius.* 49. materiem *omnes fere codd.*, materiam R *cum aliis paucis.* 53. Pravae *Parisini* 7978, 8213.

Seu Graeco iubeas trocho
    Seu malis vetita legibus alea,
Cum periura patris fides
    Consortem socium fallat et hospites,

Indignoque pecuniam
    Heredi properet. Scilicet improbae
Crescunt divitiae: tamen
    Curtae nescio quid semper abest rei.

XXV

Quo me, Bacche, rapis tui
    Plenum? Quae nemora aut quos agor in specus,
Velox mente nova? Quibus
    Antris egregii Caesaris audiar

Aeternum meditans decus
    Stellis inserere et consilio Iovis?
Dicam insigne, recens, adhuc
    Indictum ore alio. Non secus in iugis

Exsomnis stupet Euhias,
    Hebrum prospiciens et nive candidam
Thracen ac pede barbaro
    Lustratam Rhodopen, ut mihi devio

---

60. hospites AaRγ^{l}δτβ: hospitem φψλπL *alii, suffragantibus Peerlkampo et Luc. Muellero.*

III 25. — 2. et *pro* aut R, *Priscianus, Victorinus*: aut *cett.* 6. consilio *multi, in his* AaBLγλ^{l}τβ: concilio Rφψδπ *alii.* 9. Exsomnis *vel* Exomnis *omnes ad unum codd.*: Edonis *coniecit Bentleius, quem secutus est Luc. Muellerus.*

Ripas et vacuum nemus
    Mirari libet. O Naiadum potens
Baccharumque valentium
    Proceras manibus vertere fraxinos,

Nil parvum aut humili modo,
    Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Lenaee, sequi deum
    Cingentem viridi tempora pampino.

XXVI

Vixi puellis nuper idoneus
Et militavi non sine gloria;
    Nunc arma defunctumque bello
        Barbiton hic paries habebit,

Laevum marinae qui Veneris latus
Custodit. Hic, hic ponite lucida
    Funalia et vectes et arcus
        Oppositis foribus minacis.

O quae beatam diva tenes Cyprum et
Memphin carentem Sithonia nive,
    Regina, sublimi flagello
        Tange Chloen semel arrogantem.

---

13. Ripas *codd.*: Rupes *Muretus*: Rivos *Bentleius*. 16. fraxinus *nonnulli codd., veluti* φψδπ. 18. loquor π[1] *pr.*

III 26. — 1. puellis *omnes ad unum codd.*: duellis *ex Franckii coniectura receperunt Luc. Muellerus, O. Kellerus.* 7. et arcus *codd.*: securesque *Horatium scripsisse opinatus est Bentleius*; *recentiorum alii alia emendandi causa protulerunt.* 9. regis πLδ *cum paucis.*

XXVII

Impios parrae recinentis omen
Ducat et praegnans canis aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino
    Fetaque vulpes;

Rumpat et serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittae
Terruit mannos: ego cui timebo,
    Providus auspex,

Antequam stantis repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,
Oscinem corvum prece suscitabo
    Solis ab ortu.

Sis licet felix, ubicumque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas;
Teque nec laevus vetet ire picus
    Nec vaga cornix.

Sed vides, quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. Ego quid sit ater
Hadriae novi sinus et quid albus
    Peccet Iapyx.

III 27. — 2. praegnas *nonnulli codd.*, *ut* BR, *probante Kellero*. 4. Pesta *pro* Feta δψ² *cum aliis perpaucis*: Festa π. 5. Rumpit Rφψδπ, *probante Bentleio*. 7. cui AaBRγφψg: quid λlδπ *Parisini* 7978, 8218: cur τ. 15. vetet *omnes paene codd.*: vetat *maluit Bentleius, quem secutus est Luc. Muellerus*,

Hostium uxores puerique caecos
Sentiant motus orientis Austri et
Aequoris nigri fremitum et trementis
Verbere ripas.

Sic et Europe niveum doloso
Credidit tauro latus et scatentem
Beluis pontum mediasque fraudes
Palluit audax.

Nuper in pratis studiosa florum et
Debitae Nymphis opifex coronae
Nocte sublustri nihil astra praeter
Vidit et undas.

Quae simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten, 'pater, o relictum
Filiae nomen pietasque' dixit
'Victa furore!

Unde quo veni? Levis una mors est
Virginum culpae. Vigilansne ploro
Turpe commissum an vitiis carentem
Ludit imago

Vana, quae porta fugiens eburna
Somnium ducit? Meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentis
Carpere flores?

---

23. gementis *coniecit Bentleius.* 38. culpa φψπL *alii pauci.*

Siquis infamem mihi nunc iuvencum
Dedat iratae, lacerare ferro et
Frangere enitar modo multum amati
    Cornua monstri.

Impudens liqui patrios penatis:
Impudens Orcum moror? O deorum
Siquis haec audis, utinam inter errem
    Nuda leones!

Antequam turpis macies decentis
Occupet malas teneraeque sucus
Defluat praedae, speciosa quaero
    Pascere tigris.

Vilis Europe, pater urget absens:
Quid mori cessas? Potes hac ab orno
Pendulum zona bene te secuta
    Laedere collum.

Sive te rupes et acuta leto
Saxa delectant, age te procellae
Crede veloci, nisi erile mavis
    Carpere pensum

Regius sanguis, dominaeque tradi
Barbarae paelex.' Aderat querenti
Perfidum ridens Venus et remisso
    Filius arcu.

---

48. monstri AaBλlδπLξσ *alii*: tauri Rφψγτβ *alii pauci*. 55. Defluit AaBRλlg: Defluet γτ. 57. Europae pater *aliquot codd., in his* AaBγλlL. 59, 60. secuta e | lidere *ex quibusdam codicibus receperunt Lambinus, Muretus, Bentleius, Luc. Muellerus,* ...

Mox, ubi lusit satis, 'abstineto'
Dixit 'irarum calidaeque rixae,
Cum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.

Uxor invicti Iovis esse nescis:
Mitte singultus, bene ferre magnam
Disce fortunam: tua sectus orbis
Nomina ducet.'

XXVIII

Festo quid potius die
Neptuni faciam? Prome reconditum,
Lyde, strenua Caecubum
Munitaeque adhibe vim sapientiae.

Inclinare meridiem
Sentis ac, veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram?

Nos cantabimus invicem
Neptunum et viridis Nereidum comas;
Tu curva recines lyra
Latonam et celeris spicula Cynthiae:

---

69. luxit *admodum pauci, in his* $B^1\lambda^1$. — abstinebis *ex coniectura commentus est Meinekius.* 71. reddit AaBλ*l*.

III 28. — 2. facias *ex coniectura Bentleius.* 6. et *pro* ac AaBλ*l*g. 7. diripere λπL *cum paucis.* 9. in vices *aliquot codices, ut* RφψδπL. 11. Tu *codd.*: Tum *Lachmannus.*

Summo carmine, quae Cnidon
Fulgentisque tenet Cycladas et Paphum
Iunctis visit oloribus:
Dicetur merita Nox quoque nenia.

XXVIIII

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado
Cum flore, Maecenas, rosarum et
Pressa tuis balanus capillis

Iamdudum apud me est: eripe te morae,
Ne semper udum Tibur et Aefulae
Declive contempleris arvum et
Telegoni iuga parricidae.

Fastidiosam desere copiam et
Molem propinquam nubibus arduis;
Omitte mirari beatae
Fumum et opes strepitumque Romae.

Plerumque gratae divitibus vices
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Cenae sine aulaeis et ostro
Sollicitam explicuere frontem.

---

13. Cnidon *complures codd.*: Gnidon Aaλgδβ *alii.* 14. Paphon *pauci, in his* φψδg.

III 29. – 2. versum AaBγλ*l* *alii.* 6. Ne Rγφψλ*l*δπL *alii*: Nec *nonnulli, ut* AaBg: Non *Paris.* 7978 *cum* ϑσ[1]: Hic *coniecit* *Lachmannus*: Ut *maluit Peerlkampus.* – Aefulae *omnes codd.*

Iam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem, iam Procyon furit
Et stella vesani Leonis
Sole dies referente siccos:

Iam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quaerit et horridi
Dumeta Silvani, caretque
Ripa vagis taciturna ventis.

Tu civitatem quis deceat status
Curas, et Urbi sollicitus times,
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus,
Ridetque si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest memento

Componere aequus; cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adesos

Stirpesque raptas et pecus et domos
Volventis una, non sine montium
Clamore vicinaeque silvae,
Cum fera diluvies quietos

22. horrida *Parisini* 7973, 8213. 28. dissors *pro eo quod est* discors *Horatio restituendum esse sibi persuasit Bentleius.* 34. aequore *pro* alveo φψδπL *alii.*

Inritat amnis. Ille potens sui
Laetusque deget, cui licet in diem
    Dixisse 'Vixi: cras vel atra
        Nube polum Pater occupato

Vel sole puro; non tamen inritum,
Quodcumque retro est, efficiet neque
    Diffinget infectumque reddet,
        Quod fugiens semel hora vexit.'

Fortuna, saevo laeta negotio et
Ludum insolentem ludere pertinax,
    Transmutat incertos honores,
        Nunc mihi, nunc alii benigna.

Laudo manentem; si celeris quatit
Pinnas, resigno quae dedit et mea
    Virtute me involvo probamque
        Pauperiem sine dote quaero.

Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
    Decurrere et votis pacisci,
        Ne Cypriae Tyriaeque merces

Addant avaro divitias mari:
Tunc me biremis praesidio scaphae
    Tutum per Aegaeos tumultus
        Aura feret geminusque Pollux.

---

42. degit ℑ *cum perpaucis*. 54. Pinnas BR *alii*. 57. Africus *aliquot codd., ut* AaBγλδ[1]. 60. Tyriae *maior pars codd.*: Syriae δβσ *cum aliis paucis*. 62. Tunc AaBRγλ*l* *alii*: Tum φψδLβ *alii pauci*. 64. ferat *cum paucis codd. Bentleius*.

XXX

Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis

Annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam: usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium

Scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens

Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
Quaesitam meritis, et mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

III 30. — 12. Regnavit *plerique codd.*: Regnator δπLgβ *Parisini* 7973, 8218 *cum aliis paucis.*

Q. HORATI FLACCI

CARMINVM

LIBER QVARTVS

I

INTERMISSA, Venus, diu
    Rursus bella moves? Parce, precor, precor.
Non sum qualis eram bonae
    Sub regno Cinarae. Desine, dulcium

Mater saeva Cupidinum,
    Circa lustra decem flectere mollibus
Iam durum imperiis: abi,
    Quo blandae iuvenum te revocant preces.

Tempestivius in domum
    Pauli, purpureis ales oloribus,
Comissabere Maximi,
    Si torrere iecur quaeris idoneum.

IIII 1. — 8. te revocant *codd.*: rite vocant *maluit Peerlkampus*. 9. domum RφψδπL *alii*: domo AaBγλlγσβ *alii*.

Namque et nobilis et decens
Et pro sollicitis non tacitus reis
Et centum puer artium
Late signa feret militiae tuae,

Et, quandoque potentior
Largi muneribus riserit aemuli,
Albanos prope te lacus
Ponet marmoream sub trabe citrea.

Illic plurima naribus
Duces tura, lyraeque et Berecyntiae
Delectabere tibiae
Mixtis carminibus non sine fistula;

Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes pede candido
In morem Salium ter quatient humum.

Me nec femina nec puer
Iam nec spes animi credula mutui
Nec certare iuvat mero
Nec vincire novis tempora floribus.

Sed cur heu! Ligurine, cur
Manat rara meas lacrima per genas?
Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua silentio?

---

18. Largi AaΓγ *alii pauci*: Largis *plerique, in his* Rφψλlδπ; β. 20. cyprea *nonnulli, ut* Rlδ: ciprea φψ: Cypria *Peerlkampus*. 22, 23. lyra... Berecyntia... tibia *Blandin. vetustiss.*, g, *alii pauci, defensore Bentleio*. 28. quatiunt *maior pars codd., in his* AaBφψlδL.

Nocturnis ego somniis
Iam captum teneo, iam volucrem sequor
Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubilis.

II

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea
Nititur pinnis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore,

Laurea donandus Apollinari,
Seu per audacis nova dithyrambos
Verba devolvit numerisque fertur
Lege solutis,

Seu deos regesve canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidere iusta
Morte Centauri, cecidit tremendae
Flamma Chimaerae:

IIII 2. — 2. Iule *vel* Iulle *codd.*: Ille *confecit Peerlkampus; probavit Kellerus in Epil., p. 297, et cum Haeussnero recepit.* 3. pinnis BR *alii.* 6. Quem... saluere L: Cum... saluere φψ: Cum... saliere δπ. 7. Fervit AaB. 13. regesque *plerique codd.*

Sive quos Elea domum reducit
Palma caelestis pugilemve equumve
Dicit et centum potiore signis
    Munere donat;

Flebili sponsae iuvenemve raptum
Plorat et vires animumque moresque
Aureos educit in astra nigroque
    Invidet Orco.

Multa Dircaeum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quotiens in altos
Nubium tractus: ego apis Matinae
    More modoque

Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
    Carmina fingo.

Concines maiore poeta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum merita decorus
    Fronde Sygambros;

Quo nihil maius meliusve terris
Fata donavere bonique divi
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
    Tempora priscum.

---

21. que *pro* ve γL *cum paucis*. 23. educit Bφψδπϑ *alii*: reducit AaγBλlLgσβ. 31. ripas *codd.*: rivos *Bentleius*. 33, 41. Concinet, *invitis codd.*, *Lachmannus*.

Concines laetosque dies et urbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu forumque
    Litibus orbum.

Tum meae, siquid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars, et 'o sol
Pulcher, o laudande!' canam recepto
    Caesare felix.

Tuque dum procedis, 'io Triumphe!'
Non semel dicemus 'io Triumphe!'
Civitas omnis dabimusque divis
    Tura benignis.

Te decem tauri totidemque vaccae,
Me tener solvet vitulus, relicta
Matre qui largis iuvenescit herbis
    In mea vota,

Fronte curvatos imitatus ignis
Tertium lunae referentis ortum,
Qua notam duxit, niveus videri,
    Cetera fulvus.

---

45. loquor *Bentleius, Muellerus cum paucis codd., in his* δLβ. 49. Teque *omnes fere codd.*: Tuque *admodum pauci, probante Kellero*: Atque *recepit Luc. Muellerus Meinekium secutus*: *iidem cum paucis codd.* procedit *reposuerunt*: Isque dum procedit *correxerat Bentleius.* 58. ortum AaBBγφψgβ: orbem λlδπLϡ *alii.*

III

Quem tu, Melpomene, semel
    Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
    Clarabit pugilem, non equus impiger

Curru ducet Achaico
    Victorem, neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
    Quod regum tumidas contuderit minas,

Ostendet Capitolio;
    Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
Et spissae nemorum comae
    Fingent Aeolio carmine nobilem.

Romae, principis urbium,
    Dignatur suboles inter amabilis
Vatum ponere me choros,
    Et iam dente minus mordeor invido.

O, testudinis aureae
    Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
O mutis quoque piscibus
    Donatura cycni, si libeat, sonum,

Totum muneris hoc tui est,
    Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae:
    Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

IIII 3. — 10. profluunt λl *cum perpaucis*: perfluunt *Paris.* 8213.

IIII

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex deorum regnum in avis vagas
Permisit expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flavo,

Olim iuventas et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium,
Vernique iam nimbis remotis
Insolitos docuere nisus

Venti paventem, mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus,
Nunc in reluctantis dracones
Egit amor dapis atque pugnae;

Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere
Iam lacte depulsum leonem
Dente novo peritura vidit:

Videre Raeti bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici — quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi

IIII 4. — 6. propulit γλlδπL *alii*: protulit AaBRφψβ *alii*. 7. Vernique AaBγg *alii*: Vernisque *plerique, in his* Rφψλlδπ L. 15. Iam lacte *codd.*: lacte *ex glossa huc irrepsisse et mane vel potius* sponte *extrusum esse suspicatus est Bentleius*: Iam (macte!) *somniavit Lachmannus.* 16. videt *perpauci, ut* Lδ. 17. Raeti. *Nominativum exhibent omnes codd., nisi quod nonnulli* Reti *vel* Retii: Raetis *coniecit N. Heinsius, probaverunt Bentleius, Peerlkampus, alii.*

Dextras obarmet, quaerere distuli,
Nec scire fas est omnia —; sed diu
Lateque victrices catervae
Consiliis iuvenis revictae

Sensere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.

Fortes creantur fortibus et bonis;
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus, neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam;

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant;
Utcumque defecere mores,
Indecorant bene nata culpae.

Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen et Hasdrubal
Devictus et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,

---

24. revictae *omnes fere codd.*: repressae *cum Porphyrione maluit Bentleius unum cod. secutus, probante Peerlkampo, cui tamen* reiectae *magis arrisit.* 26. faustis *omnes ad unum codd.*: sanctis *Horatium scripsisse contendit Bentleius.* 29, 30. fortibus: et bonis Est *distinxerunt* Aλlgσ, *improbante Bentleio*: fortibus; ut bonis Est *coniecit Nic. Heinsius.* 36. Indecorant Rφψδπ *alii*: Dedecorant AaBγLλlg *alii.*

Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer ut Italas
Ceu flamma per taedas vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.

Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana deos habuere rectos,

Dixitque tandem perfidus Hannibal:
'Cervi, luporum praeda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.

Gens, quae cremato fortis ab Ilio
Iactata Tuscis aequoribus sacra
Natosque maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbes,

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Non hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monstrumve summisere Colchi
Maius Echioniaeve Thebae.

---

42. Durus *admodum pauci, velut l.* 43. vel Eurus AaBRγλlLβ: et Eurus *pauci, in his* δ, *Parisini* 7973, 8213: per Euros *cum paucis* φψ.

Merses profundo, pulchrior evenit;
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem geretque
Proelia coniugibus loquenda.

Carthagini iam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis Hasdrubale interempto.

Nil Claudiae non perficient manus,
Quas et benigno numine Iuppiter
Defendit et curae sagaces
Expediunt per acuta belli.'

V

Divis orte bonis, optime Romulae
Custos gentis, abes iam nimium diu;
Maturum reditum pollicitus patrum
Sancto concilio, redi.

---

65. Mersus ABλlgσ *cum aliis paucis.* 66. *Pro* Luctere *nonnulli exhibent* Ductore, *in his* Rφδπ: Victore L[2] *in ras.* – proruit δπ *cum perpaucis; receperunt Bentleius, Luc. Muellerus.* 67. geritque *Bentleius, Luc. Muellerus, paucorum codd. auctoritate freti.* 73. perficient *omnes prope codd.*: perficiant φψ: perficiunt *cum Blandinio vetustissimo aliisque paucis scripsit Bentleius, ratum habuit Muellerus.*

IIII 5. – 4. consilio *admodum pauci, ut* λ.

Lucem redde tuae, dux bone, patriae:
Instar veris enim vultus ubi tuus
Adfulsit populo, gratior it dies
    Et soles melius nitent.

Ut mater iuvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Cunctantem spatio longius annuo
    Dulci distinet a domo,

Votis ominibusque et precibus vocat,
Curvo nec faciem litore demovet:
Sic desideriis icta fidelibus
    Quaerit patria Caesarem.

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres almaque Faustitas,
Pacatum volitant per mare navitae,
    Culpari metuit fides,

Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos et lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperae,
    Culpam poena premit comes.

---

6. voltus φψδπL *alii*. 7. et *pro* it Rδπ *alii pauci*. 14. demovet Rφψδ *cum paucis*: dimovet *maior pars codd.* 17. rura perambulat *codd.*: prata perambulat *maluit Tanaquil Faber, cuius coniecturam commendavit Peerlkampus*. 18. Nutrit rura *codd.*, *nisi quod* Nutritura *praebent nonnulli*: Nutrit farra *coniecit Bentleius, probante Luc. Muellero*.

Quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen,
Quis Germania quos horrida parturit
Fetus, incolumi Caesare? quis ferae
    Bellum curet Hiberiae?

Condit quisque diem collibus in suis
Et vitem viduas ducit ad arbores;
Hinc ad vina redit laetus et alteris
    Te mensis adhibet deum;

Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris, et Laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris
    Et magni memor Herculis.

'Longas o utinam, dux bone, ferias
Praestes Hesperiae!' dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
    Cum sol oceano subest.

VI

Dive, quem proles Niobea magnae
Vindicem linguae Tityosque raptor
Sensit et Troiae prope victor altae
    Phthius Achilles,

---

31. venit *perpauci, velut* δL, *laudavit et recepit Bentleius, sed propter ingratum sonum vituperavit Peerlkampus.* 34. Diffuso AaBλlπg *alii.* 37. rex *nonnulli, ut* Lδσ, *quod Bentleius non contemnendum esse dixit.*

Ceteris maior, tibi miles impar,
Filius quamvis Thetidis marinae
Dardanas turris quateret tremenda
Cuspide pugnax:

— Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late posuitque collum in
Pulvere Teucro:

Ille non inclusus equo Minervae
Sacra mentito male feriatos
Troas et laetam Priami choreis
Falleret aulam;

Sed palam captis gravis, heu nefas! heu!
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentem
Matris in alvo,

Ni tuis victus Venerisque gratae
Vocibus divum pater adnuisset
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros: —

IIII 6. — 10. impressa *nonnulli, velut* AaBλl. 11. in *omiserunt* γRL *alii pauci.* 17. captis *plerique codd.*: victor *Parisini* 7973, 8218 *cum aliis paucis*: victis *ex coniectura protulit Peerlkampus.* 19. latentes *cum perpaucis codd. Lambinus, improbante Bentleio.* 21. victus *omnes paene codd.*: flexus *Blandinius vetustissimus, quem secuti sunt Bentleius, Peerlkampus, Muellerus, alii.* — tenerisque gnatae *pro eo quod est* Venerisque gratae *restituendum esse censuit Peerlkampus.*

Doctor argutae fidicen Thaliae,
Phoebe, qui Xantho lavis amne crinis,
Dauniae defende decus Camenae,
Levis Agyieu.

Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
Carminis nomenque dedit poetae.
Virginum primae puerique claris
Patribus orti,

Deliae tutela deae, fugacis
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem meique
Pollicis ictum,

Rite Latonae puerum canentes,
Rite crescentem face Noctilucam,
Prosperam frugum celeremque pronos
Volvere mensis.

Nupta iam dices: 'ego dis amicum,
Saeculo festas referente luces,
Reddidi carmen docilis modorum
Vatis Horati.'

VII

Diffugere nives, redeunt iam gramina campis
Arboribusque comae;
Mutat terra vices et decrescentia ripas
Flumina praetereunt;

25. argutae *plerique codd.*: Argivae *perpauci, ut* πδ, *receperunt Peerlkampus, Luc. Muellerus.* 38. Noctiluca AaγR *alii*: nocte lucem *pauci, in his* φψδπ.

Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
    Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet annus et almum
    Quae rapit hora diem.

Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas,
    Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
    Bruma recurrit iners.

Damna tamen celeres reparant caelestia lunae:
    Nos, ubi decidimus
Quo pius Aeneas, quo Tullus dives et Ancus,
    Pulvis et umbra sumus.

Quis scit an adiciant hodiernae crastina summae
    Tempora di superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
    Quae dederis animo.

IIII 7. – 7. Immortalia ne spires *commentus est Peerlkampus.* – almum *omnes fere codd.*: album Rβ[2] *cum perpaucis.* – 9. proteret, *adversantibus codd., Peerlkampus.* 13. tamen *codd.*: etiam *coniecit Peerlkampus.* 14. recidimus, *invitis codd., Peerlkampus cum Paldamo.* 15. pius AaBRγφψλlβ : pater δπL *cum aliis paucis, quos secuti sunt Bentleius, L. Muellerus, alii.* – Tullus dives AaRγλlβ : dives Tullus δπL *cum perpaucis*: dives Iulus *admodum pauci, velutì* φψ : Tullus, pauper et Ancus *Bentleius*: Tullus abivit et Ancus *Peerlkampus.* 17. Qui scit B *cum perpaucis* – vitae *pro eo quod est* summae *nonnulli, ut* δπLβ *Parisini* 7973, 8213. 19. avidas *codd.*: avidi *coniecit Bentleius.*

Cum semel occideris et de te splendida Minos
    Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
    Restituet pietas:

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
    Liberat Hippolytum,
Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
    Vincula Pirithoo.

VIII

Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus,
Donarem tripodas, praemia fortium
Graiorum, neque tu pessima munerum

Ferres, divite me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.

Sed non haec mihi vis, non tibi talium
Res est aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus; carmina possumus
Donare et pretium dicere muneri.

IIII 8. — 1. commodis φψλlδπL *alii.* 9. non tibi *plerique codd.*: nec tibi *pauci, in his* δL; *receperunt Bentleius, Luc. Muellerus.* 12. muneris *perpauci deterioris notae codd., quos tamen sequi non dubitavit Peerlkampus, probante Luc. Muellero.*

Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus, non celeres fugae
Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae,
[Non incendia Carthaginis impiae]

Eius, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides; neque,
Si chartae sileant quod bene feceris,

Mercedem tuleris. Quid foret Iliae
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum

Virtus et favor et lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori:
Caelo Musa beat. Sic Iovis interest

14-19. *De his versibus diu multumque disputatum est. Cum enim Bentleius unum versum* 17 *ab Horatio abiudicasset, Peerlkampus vv.* 14-17 *delendos esse censuit. Lachmannus vero, reiectis omnibus, quae inter* ducibus (*v.* 15) *et* clarius (*v.* 19) *posita sunt, versum* 15 *sic refingendum esse statuit* Post mortem ducibus, clarius indicant; *quam quidem sententiam commendavit Luc. Muellerus, totumque illum locum parenthesis notis inclusit. Sed praestat Bentleium sequi.* 15. celeres fugae *maior pars codd.*: celeris fuga AaBλ*l*. 24-26. invida Romuli.... favor et. *Hunc locum ab Horatiano carmine extrudendum esse putavit Peerlkampus, ut sententia sic esset continuanda* Obstaret meritis? Lingua potentium e. q. s. 28. *Hunc versum eiecit Lachmannus, probante Luc. Muellero.* Dignum laude virum. Musa vetat mori *distinxit Peerlkampus, cum illud* virum *ex* consecrat *pendere indicasset.*

Optatis epulis impiger Hercules,
Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates,
[Ornatus viridi tempora pampino]
Liber vota bonos ducit ad exitus.

VIIII

Ne forte credas interitura, quae
Longe sonantem natus ad Aufidum
Non ante vulgatas per artis
Verba loquor socianda chordis:

Non, si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichorique graves Camenae;

Nec, siquid olim lusit Anacreon,
Delevit aetas; spirat adhuc amor
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.

Non sola comptos arsit adulteri
Crines et aurum vestibus inlitum
Mirata regalisque cultus
Et comites Helene Lacaena;

---

33. *Totum versum, primo verbo mutato, huc a carm.*, III, 25, 20 *inepte translatum esse vidit Lachmannus, contradicentibus Rittero, Kellero, aliis.* 34. duxit AaBλ*lg*: ducit *plerique codd.*

IIII 9. — 4. loquar *pauci codd., ut* Rφψπ, *Victorinus.*

Primusve Teucer tela Cydoneo
Direxit arcu; non semel Ilios
Vexata; non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus

Dicenda Musis proelia; non ferox
Hector vel acer Deiphobus gravis
Excepit ictus pro pudicis
Coniugibus puerisque primus.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; sed omnes inlacrimabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

Paulum sepultae distat inertiae
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum sileri
Totve tuos patiar labores

Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens et secundis
Temporibus dubiisque rectus,

Vindex avarae fraudis et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae,
Consulque non unius anni,
Sed quotiens bonus atque fidus

---

17. Primusve AaBγλlLgβ *alii*: Primusque Rφψπ *alii pauci*. — Cydonio *admodum pauci cum* σ. 20. ve RφψγLβσ *alii*: que AaBλlδπ *alii*. 31. sileri RγφψδπL, *Parisini* 7978, 8218, *alii*: silebo AaBλlσ, *receperunt Bentleius, Peerlkampus, Luc. Muellerus*. 37. Vindex avarae es fraudis *omnino scribendum esse contendit Peerlkampus, adversantibus codd.*

Iudex honestum praetulit utili,
Reiecit alto dona nocentium
Vultu, per obstantis catervas
Explicuit sua victor arma.

Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti

Duramque callet pauperiem pati
Peiusque leto flagitium timet,
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

X

O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens,
Insperata tuae cum veniet pluma superbiae
Et, quae nunc umeris involitant, deciderint comae,
Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae

Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam;
Dices 'heu!' quotiens te speculo videris alterum,
'Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit,
Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?'

---

41. utili *omnes prope codd.*: utili et *cum paucis Bentleius, Peerlkampus.* 48. Voltu *nonnulli codd., veluti* φψδπL. 52. peribit AaBλl *alii perpauci.*

IIII 10. — 2. bruma *pro* pluma *coniecit Bentleius*: ruga *Marklandus, Peerlkampus.* 5. Ligurine *legendum esse censuit Bentleius multisque persuasit*: Ligurinum *omnes paene codd. praebent.* 6. te speculo RφψδπLγ *alii, Peerlkampus, Luc. Muellerus*: te in speculo AaBλlg, *probante Bentleio.*

XI

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus; est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis;
    Est hederae vis

Multa, qua crinis religata fulges;
Ridet argento domus; ara castis
Vincta verbenis avet immolato
    Spargier agno;

Cuncta festinat manus, huc et illuc
Cursitant mixtae pueris puellae;
Sordidum flammae trepidant rotantes
    Vertice fumum.

Ut tamen noris, quibus advoceris
Gaudiis, Idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris marinae
    Findit Aprilem,

Iure sollemnis mihi sanctiorque
Paene natali proprio, quod ex hac
Luce Maecenas meus adfluentis
    Ordinat annos.

Telephum, quem tu petis, occupavit
Non tuae sortis iuvenem puella
Dives et lasciva tenetque grata
    Compede vinctum.

IIII 11. – 11. crepitant *coniecit Bentleius.*

Terret ambustus Phaethon avaras
Spes, et exemplum grave praebet ales
Pegasus terrenum equitem gravatus
Bellerophontem,

Semper ut te digna sequare et ultra
Quam licet sperare nefas putando
Disparem vites. Age iam, meorum
Finis amorum

— Non enim posthac alia calebo
Femina —, condisce modos, amanda
Voce quos reddas; minuentur atrae
Carmine curae.

XII

Iam veris comites, quae mare temperant,
Impellunt animae lintea Thraciae;
Iam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis et Cecropiae domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.

Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistula
Delectantque deum, cui pecus et nigri
Colles Arcadiae placent.

---

35. minuuntur *perpauci, in his Paris. 7973 ab altera manu.*

IIII 12. — 11. Delectante π *Parisini* 7973, 8213. — nigrae *cum Bentleio scripsit Luc. Muellerus*: nigri *codd.*

Adduxere sitim tempora, Vergili;
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, iuvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.

Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis adcubat horreis,
Spes donare novas largus amaraque
Curarum eluere efficax.

Ad quae si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena dives ut in domo.

Verum pone moras et studium lucri
Nigrorumque memor, dum licet, ignium
Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.

XIII

Audivere, Lyce, di mea vota, di
Audivere, Lyce: fis anus, et tamen
Vis formosa videri
Ludisque et bibis impudens

13. Vergili AB: Virgili *plerique codd.* 16. merebere *maior pars codd., recepit Peerlkampus*: mereberis φψπ *alii pauci, quos probaverunt Bentleius, Luc. Muellerus.*

Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas. Ille virentis et
Doctae psallere Chiae
Pulchris excubat in genis.

Importunus enim transvolat aridas
Quercus et refugit te, quia luridi
Dentes te, quia rugae
Turpant et capitis nives.

Nec Coae referunt iam tibi purpurae
Nec cari lapides tempora, quae semel
Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.

Quo fugit venus, heu! quove color? decens
Quo motus? Quid habes illius, illius,
Quae spirabat amores,
Quae me surpuerat mihi,

Felix post Cinaram notaque et artium
Gratarum facies? Sed Cinarae brevis
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem

Cornicis vetulae temporibus Lycen,
Possent ut iuvenes visere fervidi
Multo non sine risu
Dilapsam in cineres facem.

IIII 13. — 11. Dentes, te quia *distinxit Bentleius.* 14. clari *nonnulli codd., in his* AaBλlg, *recepit Peerlkampus.* 26. possint RφλlL *alii pauci.* 28. Delapsam AaBRλ *alii.* — cinerem *perpauci, in his* δ: cineres *omnes prope codd.*

XIIII

Quae cura patrum quaeve Quiritium
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum
Per titulos memoresque fastus

Aeternet, o, qua sol habitabilis
Inlustrat oras, maxime principum?
Quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper,

Quid Marte posses. Milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque velocis et arces
Alpibus impositas tremendis

Deiecit acer plus vice simplici.
Maior Neronum mox grave proelium
Commisit immanisque Raetos
Auspiciis pepulit secundis,

Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis,
Indomitas prope qualis undas

IIII 14. — 4. fastus *plerique codd.*: fastos *pauci codd., veluti* δ[1]λ*pr.*Lσ, *probante Peerlkampo.* 19. fatigarat φψδLβσ *alii pauci*: fatigarit *coniecit Nic. Heinsius.* 20. Indomita *codd.*: Indomitus *ex coniectura Bentleius, probante Luc. Muellero.*

Exercet Auster, Pleiadum choro
Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas et frementem
Mittere equum medios per ignis.

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni praefluit Apuli,
Cum saevit horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris,

Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque et extremos metendo
Stravit humum, sine clade victor,

Te copias, te consilium et tuos
Praebente divos. Nam tibi, quo die
Portus Alexandrea supplex
Et vacuam patefecit aulam,

Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.

---

24. per enses *coniecit Bentleius, sed codicum lectionem retinuit.* 26. Qua, *nullis suffragantibus codd., Bentleius.* – perfluit *perpauci codd., editt. veteres.* 28. meditatur aRγβ *alii pauci:* minitatur *plerique codd., in his* AφψλlδπLgσ, *probaverunt Bentleius, Luc. Muellerus.* 35. Alexandria *admodum pauci, ut* λl.

Te Cantaber non ante domabilis
Medusque et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae.

Te, fontium qui celat origines,
Nilusque et Hister, te rapidus Tigris,
Te beluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,

Te non paventis funera Galliae
Duraeque tellus audit Hiberiae,
Te caede gaudentes Sygambri
Compositis venerantur armis.

XV

Phoebus volentem proelia me loqui
Victas et urbes increpuit lyra,
Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. Tua, Caesar, aetas

Fruges et agris rettulit uberes
Et signa nostro restituit Iovi
Derepta Parthorum superbis
Postibus et vacuum duellis

---

46. Hister *codd.* 49. paventes *nonnulli codd., ut* Δaγgπ *pr., defendit Bentleius.*

IIII 15. — 7. Derepta *duo Blandinii Cruquii*: Directa R: Direpta *ceteri.* 8. vacua ab duellis *Horatium scripsisse credidit Peerlkampus.*

Ianum Quirini clausit et ordinem
Rectum evaganti frena licentiae
  Iniecit emovitque culpas
    Et veteres revocavit artis,

Per quas Latinum nomen et Italae
Crevere vires famaque et imperi
  Porrecta maiestas ad ortus
    Solis ab Hesperio cubili.

Custode rerum Caesare non furor
Civilis aut vis exiget otium,
  Non ira, quae procudit enses
    Et miseras inimicat urbes.

Non qui profundum Danuvium bibunt
Edicta rumpent Iulia, non Getae,
  Non Seres infidive Persae,
    Non Tanain prope flumen orti.

Nosque et profestis lucibus et sacris
Inter iocosi munera Liberi,
  Cum prole matronisque nostris
    Rite deos prius apprecati,

---

9. Quirini *codd.*: Quirinum *Passeratius, Gronovius, Peerlkampus, alii.* 10. evaganti AaγπL *alii*: et vaganti *complures, in his* Rφψλlβ. 11. emovitque AaRγφψλlβ: dimovitque δπσ *cum paucis*: demovitque L. 15. ortus *plerique codd.*: ortum δσ *alii pauci, probavit Bentleius, quem secuti sunt Peerlkampus, Luc. Muellerus.* 18. exiget aRλlπ *alii, quos potiores habuit Bentleius*: exigit A: eximet γφψδLβ *alii, recepit Peerlkampus, probante Luc. Muellero.* 21. Danuvium *praebent* AaR: Danubium *omnes, ut videntur, ceteri.* 23. infidique *aliquot codd., ut* AaRγλlgβ.

Virtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
    Troiamque et Anchisen et almae
        Progeniem Veneris canemus.

Q. HORATI FLACCI
EPODON
LIBER

I

IBIS Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula,
Paratus omne Caesaris periculum
Subire, Maecenas, tuo.
Quid nos, quibus te vita si superstite
Iucunda, si contra, gravis?
Utrumne iussi persequemur otium
Non dulce, ni tecum simul,
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non mollis viros?
Feremus, et te vel per Alpium iuga
Inhospitalem et Caucasum,

EPOD. 1. — 3. Caesaris, *erasa extrema vocis littera*, *in* Caesari *mutavit corrector cod.* π: *dativum casum etiam Bothius*, *Peerlkampus*, *alii praetulerunt.* 5. si ABRφψLλlδg *alii*: *omiserunt nonnulli*, *in his* aγπβ.: sit *Aldus*, *commendaverunt Peerlkampus*, *Kellerus*, *alii.* 10. Qua AaBRγ *alii*: Quem Lφψλlδgβ *alii.*

Vel Occidentis usque ad ultimum sinum
Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid iuvem meo,
Imbellis ac firmus parum?
Comes minore sum futurus in metu,
Qui maior absentis habet:
Ut assidens implumibus pullis avis
Serpentium adlapsus timet
Magis relictis, non, ut adsit, auxili
Latura plus praesentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum in tuae spem gratiae,
Non ut iuvencis inligata pluribus
Aratra nitantur meis,
Pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascuis,
Nec ut superni villa candens Tusculi
Circaea tangat moenia.
Satis superque me benignitas tua
Ditavit: haud paravero

---

13. Et Occidentis, *invitis codd.*, *maluit Peerlkampus*. 15. labore *emendavit Glareanus*: laborem *omnes codd.* 17. sim *ex Nic. Heinsii emendatione legit Bentleius*. 21. ut adsit Aaλlβγδ²gσ *alii quorum pauci exhibent* ut assit: ut sit Rφψδπ *alii*: uti sit *maluerunt Bentleius, Luc. Muellerus, alii*. 26. meis *omnes prope codd.*: mea, *quod perpauci praebent, receperunt Bentleius, Peerlkampus, Luc. Muellerus*. 28. pascua *pauci, inter quos* Aaλl, *probante Peerlkampo*. 29. superne Rγπ *cum aliis paucis*: superni *ceteri*: superbi *forte legendum esse animadvertit Marklandus*: supini *maluit Bentleius*. — candens AaBγ: tangens RLφψδ.

Quod aut avarus ut Chremes terra premam,
    Discinctus aut perdam ut nepos.

II

Beatus ille qui procul negotiis,
    Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
    Solutus omni faenore,
Neque excitatur classico miles truci,
    Nec horret iratum mare,
Forumque vitat et superba civium
    Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
    Altas maritat populos,
Aut in reducta valle mugientium
    Prospectat errantis greges,
Inutilisque falce ramos amputans
    Feliciores inserit,
Aut pressa puris mella condit amphoris,
    Aut tondet infirmas ovis;
Vel cum decorum mitibus pomis caput
    Autumnus agris extulit,

---

34. ut nepos Bγδφψπ *alii*: ut *omis.* AaBλlσ *alii, quibus suffragatus est Luc. Muellerus.*

Epod. 2. — 3. bobus *complures, ut* BLγδλlφψ: bubus AaBπ *alii.* 13. Inutilisve *Bentleius, cuius coniecturam amplexus est Luc. Muellerus. Hunc et insequentem versum ante vv.* 11, 12 *collocandos esse statuerunt Georgius Fabricius, Henr. Stephanus, probante Peerlkampo.* 18. arvis Bγβ *alii*: uvis π.: agris *plerique. Ceterum* agris extulit *habent* AaBδλlgσ: extulit agris Lφψ *cum paucis.*

Ut gaudet insitiva decerpens pira
 Certantem et uvam purpurae,
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
 Silvane, tutor finium.
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
 Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquae,
 Queruntur in silvis aves,
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
 Somnos quod invitet levis.
At cum tonantis annus hibernus Iovis
 Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acris hinc et hinc multa cane
 Apros in obstantis plagas,
Aut amite levi rara tendit retia,
 Turdis edacibus dolos,
Pavidumque leporem et advenam laqueo
 Iucunda captat praemia. [gruem
Quis non malarum, quas amor curas habet,
 Haec inter obliviscitur?
Quodsi pudica mulier in partem iuvet
 Domum atque dulcis liberos,

---

19. gaudens δφψπL *alii pauci.* 20. purpura *quattuor Blandinii.* 23. *Novum epodum incipiunt* Aaλlγg *alii pauci.* 25. ripis Aaγλlgσβ *alii*: rivis BLφψδ *cum aliis*: rupibus *coniecit Peerlkampus.* 27. Fontes *omnes codd.*: Frondes *Marklandus, cuius coniecturam a Peerlkampo comprobatam receperat Kellerus.* 29. Aut B *cum perpaucis.* 31. agris *habent* λl. 35. Pavidumve *Bentleius.* 39. Quid si *Hauptius aliique, qui in v.* 48 *post* apparet *interrogationis notam posuerunt.*

Sabina qualis aut perusta solibus
    Pernicis uxor Apuli,
Sacrum vetustis exstruat lignis focum
    Lassi sub adventum viri,
Claudensque textis cratibus laetum pecus
    Distenta siccet ubera,
Et horna dulci vina promens dolio
    Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina iuverint conchylia
    Magisve rhombus aut scari,
Siquos Eois intonata fluctibus
    Hiemps ad hoc vertat mare;
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
    Non attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
    Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis et gravi
    Malvae salubres corpori,
Vel agna festis caesa Terminalibus,
    Vel haedus ereptus lupo.
Has inter epulas ut iuvat pastas ovis
    Videre properantis domum,
Videre fessos vomerem inversum boves
    Collo trahentis languido,
Positosque vernas, ditis examen domus,
    Circum renidentis Lares!'

---

48. ineptas *perpauci, veluti* δgL *corr.* 52. vertat *codd.*: verrat *coniecit Nic. Heinsius.* 65. Positos *omnes fere codd., probante Peerlkampo: itemque in* R *ex* Postos, i *infixo*, Positos *factum est.*

Haec ubi locutus faenerator Alfius,
Iam iam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam,
Quaerit Kalendis ponere.

III

Parentis olim siquis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edit cicutis alium nocentius.
O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni saevit in praecordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit, an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas praeter omnis candidum
Medea mirata est ducem,
Ignota tauris inligaturum iuga
Perunxit hoc Iasonem,
Hoc delibutis ulta donis paelicem
Serpente fugit alite.
Nec tantus umquam siderum insedit vapor
Siticulosae Apuliae,
Nec munus umeris efficacis Herculis
Inarsit aestuosius.

---

67. Alphius *cum paucis codd. Peerlkampus.* 69. relegit *pauci, in his* $\lambda^2 l^2 \beta$.

Epod. 3. – 3. Edit *maior pars codd.*: Edat *pauci, in his* β^2 *Paris.* 7973. – alium AaBRφψδπL *alii*: allium γλlβg *cum aliis paucis.*

At siquid umquam tale concupiveris,
Iocose Maecenas, precor,
Manum puella savio opponat tuo,
Extrema et in sponda cubet.

IIII

Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordia est,
Hibericis peruste funibus latus
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, Sacram metiente te viam
Cum bis trium ulnarum toga,
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio?
'Sectus flagellis hic triumviralibus
Praeconis ad fastidium
Arat Falerni mille fundi iugera
Et Appiam mannis terit
Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.

---

20. Iocose *codd.*: Iocosa *Marklandus, cuius emendationem laudavit Peerlkampus.* 21. savio *omnes paene codd.*: suavio *perpauci cum σ.*

Epod. 4. — 8. bis trium *legendum esse demonstravit Barthius: idem coniectura assecutus est Bentleius*: bis ter *cum codd. scripsit Peerlkampus.*

Quid attinet tot ora navium gravi
    Rostrata duci pondere
Contra latrones atque servilem manum,
    Hoc, hoc tribuno militum?'

V

'At o deorum quicquid in caelo regit
    Terras et humanum genus,
Quid iste fert tumultus et quid omnium
    Vultus in unum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus
    Lucina veris adfuit,
Per hoc inane purpurae decus precor,
    Per improbaturum haec Iovem,
Quid ut noverca me intueris aut uti
    Petita ferro belua?'
Ut haec trementi questus ore constitit
    Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
    Mollire Thracum pectora,
Canidia, brevibus implicata viperis
    Crines et incomptum caput,

17-18. aera *pro eo quod est* ora *restituendum esse opinatus est Bentleius*: Tot aere navium gravi Rostrata duci pondera *elegantiorem lectionem existimavit Peerlkampus*; *sed* ora *et* pondere *omnes ad unum codd. exhibent.*

Epod. 5. — 1. regit AaBRLγgσ *alii*: regis φψλlδπ *cum aliis paucis.* 8. aut *pro* et *nonnulli, in his* AaBλlgσ. 11. tremente *ex Bentleii correctione recepit Peerlkampus.* 15. implicata Lγδ *alii*: inplicata Rφψπ.: illigata AaBλlσg *alii.*

Iubet sepulcris caprificos erutas,
    Iubet cupressos funebris
Et uncta turpis ova ranae sanguine
    Plumamque nocturnae strigis
Herbasque, quas Iolcos atque Hiberia
    Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta ieiunae canis
    Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana, per totam domum
    Spargens Avernalis aquas,
Horret capillis ut marinus asperis
    Echinus aut currens aper.
Abacta nulla Veia conscientia
    Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus,
    Quo posset infossus puer
Longo die bis terque mutatae dapis
    Inemori spectaculo,
Cum promineret ore, quantum exstant aqua
    Suspensa mento corpora:
Exsecta uti medulla et aridum iecur
    Amoris esset poculum,
Interminato cum semel fixae cibo
    Intabuissent pupulae.

---

18. cupressus *aliquot codd., velut* Rφψλlδπ. 21. Iolcos R *cum paucis*: Hiolcos AaBγ: Colchos φψλlδπ *alii*. — aut *pro* atque AaBλlσ *alii pauci*. 28. currens *codd.*: Laurens *Nic. Heinsius, probante Bentleio*: ruens *maluit Peerlkampus*. 37. Exsecta Rφψγλlδπ L *alii*: Execta AaB: Exsucta *vel* Exucta *exhibent pauci, quos tamen praetulit Luc. Muellerus*: Exesa *vel* Exesta *coniecit N. Heinsius*: Exesa *recepit Bentleius*.

Non defuisse masculae libidinis
Ariminensem Foliam
Et otiosa credidit Neapolis
Et omne vicinum oppidum,
Quae sidera excantata voce Thessala
Lunamque caelo deripit.
Hic inresectum saeva dente livido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit aut quid tacuit? 'O rebus meis
Non infideles arbitrae,
Nox et Diana, quae silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra,
Nunc, nunc adeste, nunc in hostilis domos
Iram atque numen vertite.
Formidolosis dum latent silvis ferae
Dulci sopore languidae,
Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanae canes,
Nardo perunctum, quale non perfectius
Meae laborarint manus. —
Quid accidit? Cur dira barbarae minus
Venena Medeae valent,
Quibus superbam fugit ulta paelicem,
Magni Creontis filiam,

---

46. diripit *admodum pauci, inter quos* γ. 55. Formidolosae L *cum paucis, probante Peerlkampo*: Formidolose γ. — dum φψδπL *cum paucis*: cum *plerique, in his* AaBRγλl. — *Hunc et insequentem versum ante vv. 53, 54 legendos esse censuit Peerlkampus.* 58. Suburanae *plerique codd.*: Suburbanae *vel* Suburbane Aaλl *cum aliis paucis.* 60. laborarint Bγφψδπ *alii*; laborarunt AaBλl *alii pauci.* 63. superbam Rφψλlδ *alii*; superba *nonnulli, ut* AaBγπL.

Cum palla, tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abstulit?
Atqui nec herba nec latens in asperis
Radix fefellit me locis:
Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione paelicum.
A! a! solutus ambulat veneficae
Scientioris carmine!
Non usitatis, Vare, potionibus,
O multa fleturum caput,
Ad me recurres, nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.
Maius parabo, maius infundam tibi
Fastidienti poculum,
Priusque caelum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres uti
Bitumen atris ignibus.'
Sub haec puer iam non, ut ante, mollibus
Lenire verbis impias,
Sed dubius unde rumperet silentium,
Misit Thyesteas preces:
'Venena magnum fas nefasque non valent
Convertere humanam vicem.

---

65. infectum *pro* imbutum *pauci, in his* AaB. – nova ABπλ. 79. mare Rφψδπ *alii pauci.* 87-88. Venena magnum fas nefasque *omnes codd.*: Venena magica fas nefasque *Bentleius*: Venena maga non fas nefasque *ex Hauptii coniectura recepit Luc. Muellerus.* – Convertere *codd.*: Non vertere *Bentleius, qui praeterea* humanas vices *scripsit*: humanam vicem *codd.*: immani vice *Peerlkampus*: humana invicem *Kellerus.*

Diris agam vos; dira detestatio
  Nulla expiatur victima.
Quin, ubi perire iussus exspiravero,
  Nocturnus occurram furor,
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
  Quae vis deorum est Manium,
Et inquietis assidens praecordiis
  Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens
  Contundet obscenas anus;
Post insepulta membra different lupi
  Et Esquilinae alites,
Neque hoc parentes, heu! mihi superstites,
  Effugerit spectaculum.'

VI

Quid immerentis hospites vexas, canis
  Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanis, si potes, vertis minas,
  Et me remorsurum petis?
Nam qualis aut Molossus aut fulvus Laco,
  Amica vis pastoribus,

98. coutundat *nonnulli, velut* AaBλl. 102. Effugerit RφψγδLπ *corr. alii*; Effugerint AaBλl *alii pauci.*

EPOD. 6. — 2. adversum AaRγλlδg *alii*: adversus φψL *alii pauci*: adversos B. 3. verte φψδβ *alii pauci. Hunc versum ita legendum esse censuit Peerlkampus* Quin huc inanes verte, si potes, minas. 4. pete φψδβ *cum paucis, probante Peerlkampo.* 5. Lacon Rφψλlδπβ *alii*: Laco *pauci, in his* AaBγ.

Agam per altas aure sublata nives,
Quaecumque praecedet fera.
Tu, cum timenda voce complesti nemus,
Proiectum odoraris cibum.
Cave, cave: namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua,
Qualis Lycambae spretus infido gener
Aut acer hostis Bupalo.
An, siquis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

VII

Quo, quo scelesti ruitis aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas invidae Carthaginis
Romanus arces ureret,
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via,
Sed ut secundum vota Parthorum sua
Urbs haec periret dextera.
Neque hic lupis mos nec fuit leonibus,
Numquam nisi in dispar feris.

---

10. Obiectum *coniecit Peerlkampus.* 15. Non *pro* an, *invitis codd., Peerlkampus.* – me oppetiverit *nonnulli, velut* φψδπL. – *Interrogationis notam delevit Peerlkampus.*

Epod. 7. – 12. Umquam *vel* Unquam *omnes paene codd.*: Numquam *perpauci cum Edit. Ven. a.* 1490, *receperunt Bentleius, Peerlkampus, alii multi.*

Furorne caecus an rapit vis acrior
An culpa? Responsum date!
Tacent, et ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsae stupent.
Sic est: acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternae necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

VIII

Rogare longo putidam te saeculo,
Vires quid enervet meas,
Cum sit tibi dens ater, et rugis vetus
Frontem senectus exaret,
Hietque turpis inter aridas natis
Podex velut crudae bovis?
Sed incitat me pectus et mammae putres,
Equina quales ubera,
Venterque mollis et femur tumentibus
Exile suris additum.
Esto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum,

---

13. caecus *omnes prope codd.*: caecos *admodum pauci, in his* γa2g, *probaverunt Bentleius, Luc. Muellerus.* 15. ora pallor albus Bγφψδπ *alii*; albus ora pallor AaBλlg *alii pauci, quod quidem Bentleio, Peerlkampo, Luc. Muellero magis placuit.* 16. perculsi *coniecit Peerlkampus.*

Epod. 8. — 2. quod *perpauci, in his* Bγ.

Nec sit marita, quae rotundioribus
    Onusta bacis ambulet.
Quid quod libelli Stoici inter sericos
    Iacere pulvillos amant?
Inlitterati num minus nervi rigent,
    Minusve languet fascinum?
Quod ut superbo provoces ab inguine,
    Ore adlaborandum est tibi.

VIIII

Quando repostum Caecubum ad festas dapes
    Victore laetus Caesare
Tecum sub alta — sic Iovi gratum — domo,
    Beate Maecenas, bibam,
Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
    Hac Dorium, illis barbarum?
Ut nuper, actus cum freto Neptunius
    Dux fugit ustis navibus,
Minatus Urbi vincla, quae detraxerat
    Servis amicus perfidis.
Romanus eheu! — posteri negabitis —
    Emancipatus feminae

---

17. minus *codd.*: magis *coniecit Nic. Heinsius, probante Peerlkampo, recepit Luc. Muellerus.* 18. Minusve *omnes codd.*: Magisve *ex Guyeti coniectura Bentleius, alii.*

EPOD. 9. — 1. repostum φψλlδLg *alii pauci*: repositum *maior pars codd.*: Quando o repostum *ex Nic. Heinsii coniectura legendum esse indicavit Bentleius.* 5. mixtis *duo Lambini codd., adprobante Bentleio.* 12. Et mancipatus *pauci, in his* Lγλl.

Fert vallum et arma miles et spadonibus
Servire rugosis potest,
Interque signa turpe militaria
Sol aspicit conopium.
Ad hunc frementes verterunt bis mille equos
Galli, canentes Caesarem,
Hostiliumque navium portu latent
Puppes sinistrorsum citae.
Io Triumphe! tu moraris aureos
Currus et intactas boves?
Io Triumphe! nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem,
Neque Africanum, cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit.
Terra marique victus hostis punico
Lugubre mutavit sagum.

---

16. conopium *pauci, veluti* AaR: conopeum *plerique.* 17. Ad hunc *vel* Adhunc AaRγφψδπL, *Parisini* 7973, 8213, *alii, quibus omnino obsequendum esse arbitror. Quamquam enim sententiarum ordo sic mihi constitui posse videtur* Galli canentes Caesarem verterunt ad hunc, *satis erit, ad hanc lectionem tuendam, considerare suo nomine Caesarem supra a poeta esse notatum* (*v.* 2); *quamobrem* ad hunc *idem valere puto atque* ad hunc nostrum, cuius victoria nunc laetamur: At huc *nonnulli codd., probante Hirschfeldero, qui interpretem Cruquianum secutus* huc *ita interpretatur ut* ad nos, *id est* ad nostram partem, *significet*: Adhuc *exhibent perpauci, ut* λl1: Ad hoc *coniecit et scripsit Bentleius, cui etiam* Ad haec *apte quadrare visum est*; Ad hoc *recepit Luc. Muellerus*: Ab hoc *ex coniectura protulit Nic. Heinsius, probante Peerlkampo*: At hinc *coniecit Cuninghamus, cui suffragatus est Kellerus.* 20. citae *codd.*: abditae *coniecit Peerlkampus.* 25. Africano *vel* Affricano Lφψλlβ *cum aliis paucis.* 27. *Novum epodum incipit* A *cum paucis.* 28. mutavit *omnes codd.*: mutabit *scribendum esse censuit Lachmannus.*

Aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
    Ventis iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrtis Noto,
    Aut fertur incerto mari.
Capaciores adfer huc, puer, scyphos
    Et Chia vina aut Lesbia,
Vel quod fluentem nauseam coerceat
    Metire nobis Caecubum.
Curam metumque Caesaris rerum iuvat
    Dulci Lyaeo solvere.

X

Mala soluta navis exit alite,
    Ferens olentem Mevium.
Ut horridis utrumque verberes latus,
    Auster, memento fluctibus!
Niger rudentis Eurus inverso mari
    Fractosque remos differat;
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
    Frangit trementis ilices;
Nec sidus atra nocte amicum appareat,
    Qua tristis Orion cadit;
Quietiore nec feratur aequore,
    Quam Graia victorum manus,

---

34. Et *omnes prope codd.*: Aut *perpauci, quibus palmam detulit Bentleius.* 35. nausiam Aaλlπ *alii pauci.* – coerceat RLπ *l pr. alii*: coherceat *vel* choerceat *complures.*

Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio
  In impiam Aiacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis
  Tibique pallor luteus
Et illa non virilis heiulatio
  Preces et aversum ad Iovem,
Ionius udo cum remugiens sinus
  Noto carinam ruperit!
Opima quodsi praeda curvo litore
  Porrecta mergos iuveris,
Libidinosus immolabitur caper
  Et agna Tempestatibus.

XI

Petti, nihil me sicut antea iuvat
  Scribere versiculos amore percussum gravi,
Amore, qui me praeter omnis expetit
  Mollibus in pueris aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo destiti
  Inachia furere, silvis honorem decutit.
Heu me! per urbem — nam pudet tanti mali —
  Fabula quanta fui! Conviviorum et paenitet,

Epod. 10. — 18. aversum AaRγπL *alii*: adversum φψλlδ *alii pauci.* 19. sinu *ex Blandiniis suis protulit et recepit Cruquius, improbante Bentleio*: *idem exhibent* Aa *cum aliis paucis.* 20. Notus Aaγ *alii pauci, in his Blandinii.* 22. Porrecta *codd.*: Proiecta *maluit Bentleius, non probavit Peerlkampus.* — iuveris *duo Parisini* (7973, 8218), *alii pauci*: iuverit *ceteri.*

Epod. 11. — 2. percussum AaBγβgσ *alii, praeterea omnes prope grammatici*: perculsum Rφψλlδdπ L *alii*; *idem exhibet Terentianus.* 4. aut pueris *pro* in pueris *coniecit Bentleius.* 8. et *codd.*: ut *-lius esse putavit Bentleius, probante Peerlkampo.*

In quis amantem languor et silentium
Arguit et latere petitus imo spiritus.
'Contrane lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium?' querebar adplorans tibi,
Simul calentis inverecundus deus
Fervidiore mero arcana promorat loco.
'Quodsi meis inaestuet praecordiis
Libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
Fomenta, vulnus nil malum levantia,
Desinet imparibus certare summotus pudor.'
Ubi haec severus te palam laudaveram,
Iussus abire domum ferebar incerto pede
Ad non amicos heu! mihi postis et heu!
Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitia amor Lycisci me tenet,
Unde expedire non amicorum queant
Libera consilia nec contumeliae graves,
Sed alius ardor aut puellae candidae
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

XII

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
Munera cur mihi quidve tabellas

---

9. et languor *admodum pauci, in his* δd, *recepit Bentleius.* 16. ventis *omnes fere codd.*: venus *perpauci, ut* Aaλl: ventus *duo Porrhampi codd.* 24. mollitie *ex paucis codd. recepit Bentleius, quem imitatus est Luc. Muellerus.*

Epod. 12. – 2. quid *pro* cur *pauci, ut* AaBg, *recepit Bentleius.*

Mittis, nec firmo iuveni nec naris obesae?
    Namque sagacius unus odoror,
Polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis
    Quam canis acer, ubi lateat sus.
Qui sudor vietis et quam malus undique membris
    Crescit odor, cum pene soluto
Indomitam properat rabiem sedare, neque illi
    Iam manet umida creta colorque
Stercore fucatus crocodili, iamque subando
    Tenta cubilia tectaque rumpit;
Vel mea cum saevis agitat fastidia verbis:
    'Inachia langues minus ac me;
Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum
    Mollis opus. Pereat male, quae te
Lesbia quaerenti taurum monstravit inertem,
    Cum mihi Cous adesset Amyntas,
Cuius in indomito constantior inguine nervus,
    Quam nova collibus arbor inhaeret.
Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
    Cui properabantur? Tibi nempe,
Ne foret aequalis inter conviva, magis quem
    Diligeret mulier sua quam te.
O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acris
    Agna lupos capreaeque leones!'

---

3. Mittes *admodum pauci, ut* ABλl. — iuveni firmo *nonnulli, in his* Aβγσ. 7. quis Lφψλ *cum aliis paucis.* 8. Crescat Rφψπgδd *alii.* — quum paene soluta *coniecit Peerlkampus.* 13. *Hunc versum ita legendum putavit Peerlkampus* Vel mea quam saevis agitat fastidia verbis! 20. nova *codd.*: sua *ex Peerlkampi coniectura protulit Luc. Muellerus.*

XIII

Horrida tempestas caelum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc siluae
Threicio Aquilone sonant. Rapiamus, amici,
Occasionem de die, dumque virent genua
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move consule pressa meo;
Cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenio
Perfundi nardo iuvat et fide Cyllenea
Levare diris pectora sollicitudinibus,
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
'Invicte, mortalis dea nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois,
Unde tibi reditum certo subtemine Parcae
Rupere, nec mater domum caerula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.'

XIIII

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus,

EPOD. 13. — 3. amici *omnes codd.*: amice *coniecit Bentleius, probante Luc. Muellero.* 9. iuvat *codd.*: iuvet *maluit Peerlkampus.* 10. duris *ex uno cod. recepit Bentleius.* 11. cecinit grandi *nonnulli, veluti* AaBλlg. 13. parvi *omnes codd.*: flavi *coniecit Nic. Heinsius*: proni *Bentleius*: puri *Peerlkampus*: tardi *Meinekius, edidit Luc. Muellerus.* 15. subtegmine *admodum pauci, in his* AB.

Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
    Arente fauce traxerim,
Candide Maecenas, occidis saepe rogando:
    Deus, deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
    Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
    Anacreonta Teium,
Qui persaepe cava testudine flevit amorem
    Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipse miser: quodsi non pulchrior ignis
    Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tua: me libertina, nec uno
    Contenta, Phryne macerat.

XV

Nox erat et caelo fulgebat luna sereno
    Inter minora sidera,
Cum tu, magnorum numen laesura deorum,
    In verba iurabas mea,
Artius atque hedera procera adstringitur ilex,
    Lentis adhaerens bracchiis,

EPOD. 14. — 8. ut si AaBγλlπL *alii*: uti Rφψδβ *alii pauci*: veluti g *cum perpaucis*. 13, 14. Quid, si non pulchrior ignis Incendit obsessam Ilion? *coniecit Peerlkampus*. *Ceterum* obsessam *omnes prope codd. praebent*: oppressam *perpauci* (opressam λ, obpressam *l*).

Dum pecori lupus et nautis infestus Orion
    Turbaret hibernum mare
Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
    Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura mea multum virtute Neaera!
    Nam siquid in Flacco viri est,
Non feret adsiduas potiori te dare noctes,
    Et quaeret iratus parem,
Nec semel offensae cedet constantia formae,
    Si certus intrarit dolor.
Et tu, quicumque es felicior atque meo nunc
    Superbus incedis malo,
Sis pecore et multa dives tellure licebit
    Tibique Pactolus fluat,
Nec te Pythagorae fallant arcana renati,
    Formaque vincas Nirea,
Heu heu! translatos alio maerebis amores:
    Ast ego vicissim risero.

XVI

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,
    Suis et ipsa Roma viribus ruit.

Epod. 15. — 8, 9. Turbaret... agitaret *plerique*: Turbarit *Parisini* 7978, 8218 *et fortasse* π: agitarit *iidem Parisini*, πδd *cum aliis paucis*. 12. virium *pauci, in his* φψδd. 15. offensae *vel* offenso *omnes codd., perpaucis exceptis, ut Paris.* 7978, *in quibus est* iratae: offensi *maluerunt Gogavius, Bentleius, alii*: offenso *Peerlkampus*. 17. At tu *Parisini* 7978, 8218, *laudavit Peerlkampus, improbavit Bentleius*. 22. Nirea *perpauci, velut* aR: Nerea *ceteri*. 24. At *admodum pauci, ut Parisini* 7978, 8218, *Taurinensis*.

Epod. 16. — 2. perit *pro* ruit *Parisini* 7978, 8218.

Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi
    Minacis aut Etrusca Porsenae manus
Aemula nec virtus Capuae nec Spartacus acer
    Novisque rebus infidelis Allobrox,
Nec fera caerulea domuit Germania pube
    Parentibusque abominatus Hannibal,
Impia perdemus devoti sanguinis aetas,
    Ferisque rursus occupabitur solum.
Barbarus heu! cineres insistet victor et Urbem
    Eques sonante verberabit ungula,
Quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,
    Nefas videre! dissipabit insolens.
Forte, quod expediat, communiter aut melior pars
    Malis carere quaeritis laboribus?
Nulla sit hac potior sententia: Phocaeorum
    Velut profugit exsecrata civitas
Agros atque lares patrios habitandaque fana
    Apris reliquit et rapacibus lupis,
Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas
    Notus vocabit aut protervus Africus.

---

4. Porsinae R: Porsennae *plerique*: Porsenae $\delta^1\beta$ *pr. cum aliis perpaucis.* 6. Novisve, *refragantibus codd., Bentleius.* 8. Parentibusve *Bentleius.* — abominatus *maior pars codd.*: abominandus $A\lambda l$. 11-14. Equi *admodum pauci, veluti* ABl^1. — videre $AB\lambda$ *alii pauci*: videri $Ra\gamma l\delta\phi\psi\pi L$ *alii. Hos autem versus ita esse transponendos et leviter mutandos censuit Peerlkampus* Quaeque carent... Quirini (Nefas videre!).... insolens Barbarus, heu! cineres insistens. Victor et Urbem Eques sonante ... ungula. 15. quid *pro* quod *omnes fere codd.*: quod σ *pr.* τ *pr. Ceterum* quod *a Rutgersio restitutum commendavit et recepit Bentleius, improbante Peerlkampo, qui scribendum esse iudicavit* Forte quid expediam. Communiter e. q. s. 21. ferunt *pauci, in his* $a\beta\sigma\tau$. 22. vocavit $AB\pi$.

Sic placet? an melius quis habet suadere? Secunda
    Ratem occupare quid moramur alite?
Sed iuremus in haec: 'simul imis saxa renarint
    Vadis levata, ne redire sit nefas;
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
    Padus Matina laverit cacumina,
In mare seu celsus procurrerit Appenninus,
    Novaque monstra iunxerit libidine
Mirus amor, iuvet ut tigris subsidere cervis,
    Adulteretur et columba miluo,
Credula nec ravos timeant armenta leones,
    Ametque salsa levis hircus aequora.'
Haec et quae poterunt reditus abscindere dulcis
    Eamus omnis exsecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
    Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
    Etrusca praeter et volate litora.
Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata
    Petamus arva, divites et insulas,
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis
    Et imputata floret usque vinea,
Germinat et numquam fallentis termes olivae,
    Suamque pulla ficus ornat arborem,

---

25. renarent Rπ. 33. ravos AB: saevos *l*: sevos λ: flavos *plerique, in his* aRγφψδπL. 37. exspes *vel* expes Aaπλ*l*R *alii*: expers BLγφψδg *alii*. 38. perpremat AB*l* *cum paucis*. 41. circumvagus: arva *aliquot codd.*: *post* beata *cum aliis codd. distinxit Bentleius*: circumvagus arva; beata *edidit Peerlkampus*.

Mella cava manant ex ilice, montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic iniussae veniunt ad mulctra capellae,
Refertque tenta grex amicus ubera,
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
Neque intumescit alta viperis humus.
Pluraque felices mirabimur, ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glaebis,
Utrumque rege temperante caelitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem;
Non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
Laboriosa nec cohors Ulixei;
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia.
Iuppiter illa piae secrevit litora genti,
Ut inquinavit aere tempus aureum;
Aere, dehinc ferro duravit saecula, quorum
Piis secunda vate me datur fuga.

XVII

Iam iam efficaci do manus scientiae,
Supplex et oro regna per Proserpinae,

48. sonante *Terentianus*: crepante *codd.* — lympha *plerique codd.*: nympha Rφψ: nimpha Lδ *alii pauci*. 51. ovili *nonnulli, veluti* a¹φψδd. 61. austri *pro* astri *pauci cum* Bγπ. 63. sacravit π *cum aliis perpaucis*. 64. Se ut inquinavit *coniecit Peerlkampus*. 65. Aere *plerique codd.*: Aerea Αλlσ *Taurin., alii pauci*.

Per et Dianae non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa caelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris
Citumque retro solve, solve turbinem!
Movit nepotem Telephus Nereium,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum et in quem tela acuta torserat.
Unxere matres Iliae addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
Postquam relictis moenibus rex procidit
Heu! pervicacis ad pedes Achillei.
Saetosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulixei
Volente Circa membra: tunc mens et sonus
Relapsus atque notus in vultus honor.
Dedi satis superque poenarum tibi,
Amata nautis multum et institoribus.
Fugit iuventas, et verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida;
Tuis capillus albus est odoribus;
Nullum a labore me reclinat otium;

EPOD. 17. — 5. Refixa *aliquot codd., ut* AaBγLg: Defixa Rφψλlδπβ *alii.* 11. Unxere *complures, veluti* aγRφψδπ: Luxere ABLλlg *Taurin., alii, quos rectam et genuinam lectionem retinuisse arbitratus est Bentleius*: planxere *coniecit Peerlkampus.* 17. Circa *maior pars codd.:* Circe φψl *cum aliis paucis.* 18. Relatus *nonnulli, in his* ABλlg. 22. Reliquit *omnes ad unum codd.*: Relinquor *coniecit Peerlkampus, qui post vocem* color *distinguendum esse censuit.* — ossa *omnes codd.*: ora *maluit Bentleius, recepit Luc. Muellerus.* — Amictus ABλl.

Urget diem nox et dies noctem, neque est
Levare tenta spiritu praecordia.
Ergo negatum vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina
Caputque Marsa dissilire nenia.
Quid amplius vis? O mare et terra, ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervida
Virens in Aetna flamma: tu, donec cinis
Iniuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quae finis aut quod me manet stipendium?
Effare: iussas cum fide poenas luam,
Paratus expiare, seu poposceris
Centum iuvencos, sive mendaci lyra
Voles sonari: 'tu pudica, tu proba
Perambulabis astra sidus aureum.'
Infamis Helenae Castor offensus vicem
Fraterque magni Castoris, victi prece,
Adempta vati reddidere lumina:
Et tu — potes nam — solve me dementia,
O nec paternis obsoleta sordibus,
Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Novendialis dissipare pulveres!
Tibi hospitale pectus et purae manus,

---

30. et terra *codd.*: o terra *maluerunt Bentleius et Peerlkampus.* 33. Virens *plerique*: Urens gβ *alii pauci*: Furens *ex aliquot codd. Bentleius.* 36. Quae finis *omnes prope codd.*: qui finis *Parisini* 7973, 8218. 39. iuvencos *codd.*: iuvencis *ex varia cod. Batteliani lectione Bentleius.* — mendaci *omnes codd.*: veraci *coniecit Peerlkampus.* 42. vicem R[1] *cum perpaucis*: vice *ceteri.*

Tuusque venter Pactumeius, et tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcumque fortis exsilis puerpera.
'Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis,
Et Esquilini pontifex venefici
Impune ut urbem nomine impleris meo?
Quid proderit ditasse Paelignas anus,
Velociusve miscuisse toxicum?
Sed tardiora fata te votis manent:
Ingrata misero vita ducenda est in hoc,
Novis ut usque suppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidi pater,
Egens benignae Tantalus semper dapis,
Optat Prometheus obligatus aliti,
Optat supremo collocare Sisyphus

---

50. Pactumeius *omnes fere codd., restituit Bentleius*: Partumeius *Ritterus cum perpaucis codd.* 56. Cotyttia *scribendum est* (*cfr. gr.* Κοτύττια): *in codd. est* Cotytia, Cotycia, Coticia, *plerumque vero* Cocytia, *quod exhibent* ABRφψλlδ *alii*: *scriptum est etiam* Cocycia, *ut in* a, Cocicia *in* L2, *eademque scripturae varietas in codd. Porphyrionis cerni potest.* 60. proderat *pauci, velut* ABλl: proderit *ceteri, nisi quod* proderis R1. 62. Sed AaBRg *alii*: Set γ: Si *aliquot codd., in his* φψλlπLδd. 64. doloribus aRγφψδπL *alii*: laboribus ABλl, *Taurinensis, alii, quos secutus est Bentleius, probante Luc. Muellero.* 65. infidus *Parisini* 7973, 8213, *alii perpauci, improbante Bentleio*; *recepit Peerlkampus.* 67. alite *nonnulli, inter quos* Rφψδπ.

In monte saxum; sed vetant leges Iovis.
Voles modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus Norico recludere,
Frustraque vincla gutturi nectes tuo,
Fastidiosa tristis aegrimonia.
Vectabor umeris tunc ego inimicis eques,
Meaeque terra cedet insolentiae.
An quae movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere lunam vocibus possim meis,
Possim crematos excitare mortuos
Desiderique temperare pocula,
Plorem artis in te nil agentis exitus?'

---

70. turribus *codd.*: rupibus *maluit Peerlkampus.* 72. innectes *complures codd., veluti* AaBλlLg, *Taurin., Bruxellensis, alii, praeterea veteres editt.; reiecit Bentleius.* 78. diripere aγφψL, *Taurin., Bruxell., alii pauci.* 80. poculum *plerique codd., in his* aRγφψδdπ. 81. habentis *nonnulli, ut* aRγπδ *corr.* d *corr.*— exitus AaBλβγ *alii*: exitum *aliquot codd., in quorum numero ponendi sunt* Rφψlδ[1]dπL, *probantibus Bentleio, Peerlkampo, Luc. Muellero, aliis.*

Q. HORATI FLACCI

CARMEN SAECVLARE

PHOEBE silvarumque potens Diana,
Lucidum caeli decus, o colendi
Semper et culti, date quae precamur
Tempore sacro,

Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas puerosque castos
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas aliusque et idem
Nasceris, possis nihil urbe Roma
Visere maius!

CARM. SAEC. – 4. Tempore prisco *Porphyrion*. 5. Quo *pauci, in his* π, *Paris.* 7978, 8213, *l p. ras.*, d *p. ras.*: Quod AaBγλ*l a. ras.* β, *Bruxell.*, *Taur.*, *alii*: Quos Rφψd *a. ras.* g *alii*. 6. lectas *plerique codd.*: laetas *vel* letas *admodum pauci, ut* δ *a. ras.* λ*l*

Rite maturos aperire partus
Lenis, Ilithyia, tuere matres,
Sive tu Lucina probas vocari
    Seu Genitalis:

Diva, producas subolem patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Feminis prolisque novae feraci
    Lege marita,

Certus undenos deciens per annos
Orbis ut cantus referatque ludos
Ter die claro totiensque grata
    Nocte frequentis.

Vosque veraces cecinisse, Parcae,
Quod semel dictum est stabilisque rerum
Terminus servet, bona iam peractis
    Iungite fata.

Fertilis frugum pecorisque Tellus
Spicea donet Cererem corona;
Nutriant fetus et aquae salubres
    Et Iovis aurae.

---

15. Genitalis *codd.*: Genetyllis *coniecit Bentleius, improbante Peerlkampo, qui* Genialis *veram lectionem esse excogitavit.* 21-24. *Hos versus ita transponendos esse, ut post v. 28 legerentur, pro certo habuit Peerlkampus.* 23. totiens aRLβγ (tociens Lγ) *alii*: totidem ABλ*l* *cum aliis paucis.* 26. dictum est AaBLγλ*l* *alii*: dictum (*om.* est) φψδπ *alii.* – stabilisque rerum *codd.*: Quod semel dictum stabilis per aevum *coniecit Bentleius, probante Luc. Muellero.* 27. servet *omnes paene codd.*: servat *perpauci deterioris notae, recepere tamen Peerlkampus, Luc. Muellerus, alii.* 29. Fertilis fruges peperisse tellus *Horatium scripsisse demonstrare conatus est Peerlkampus.*

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo;
Siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas.

Roma si vestrum est opus Iliaeque
Litus Etruscum tenuere turmae,
Iussa pars mutare lares et urbem
Sospite cursu,

Cui per ardentem sine fraude Troiam
Castus Aeneas patriae superstes
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis:

Di, probos mores docili iuventae,
Di, senectuti placidae quietem,
Romulae genti date remque prolemque
Et decus omne;

Quaeque vos bobus veneratur albis
Clarus Anchisae Venerisque sanguis,
Impetret, bellante prior, iacentem
Lenis in hostem.

---

38. turbae *coniecit Peerlkampus.* 39. urbes *pauci, in his* ABλl. 45. docilis *coniecit Bentleius.* 46. senectuti AaBφψλl: senectutis RδdLγπ *alii, quos praetulit Bentleius.* 49. Quaeque *omnes prope codd.*: Quique *admodum pauci, quos potiores habuit Peerlkampus.* — bobus aBLδ *alii*: bubus ARγφψλlπ *alii.* 51. Impetret ABlπL *alii*: Imperet *non pauci, in his* R[1]φψλδg, *probante Peerlkampo.*

Iam mari terraque manus potentis
Medus Albanasque timet secures,
Iam Scythae responsa petunt, superbi
Nuper, et Indi.

Iam Fides et Pax et Honor Pudorque
Priscus et neglecta redire Virtus
Audet, apparetque beata pleno
Copia cornu.

Augur et fulgente decorus arcu
Phoebus acceptusque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus,

Si Palatinas videt aequus arces,
Remque Romanam Latiumque felix
Alterum in lustrum meliusque semper
Prorogat aevum.

Quaeque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curat et votis puerorum amicas
Applicat auris.

---

53. manum potentem *coniecit Bentleius, commendavit Peerlkampus.* 57. Honor AaBRγ *alii*: Honos φψλlδπ *alii.* 65. arces AaBφψλlδ *alii*: aras *nonnulli, ut* RγπL$a^2δ^2$g, *recepit Kellerus.* 68. Prorogat *legendum est cum paucis codd., in his* Bl: Prerogat Aλ: Proroget *plerique codd.* 71, 72. Curat ... Applicat *omnes optimae notae codd.*: Curet ... Applicet *perpauci.*

Haec Iovem sentire deosque cunctos
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus et Phoebi chorus et Dianae
    Dicere laudes.

Q. HORATI FLACCI

SERMONVM

LIBER PRIMVS

I

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentis?
'O fortunati mercatores!' gravis annis
Miles ait multo iam fractus membra labore.
Contra mercator, navem iactantibus Austris:
'Militia est potior. Quid enim? Concurritur: horae
Momento cita mors venit aut victoria laeta.'
Agricolam laudat iuris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventis clamat in urbe.

I 1. – 2. fors *omnes prope codd.*: sors BL. 4. annis *omnes codd.*: armis *coniecit Bouhierus.* 8. Momento cita *omnes paene codd.*: Momento aut cita *quattuor Lambini codd.*, *commendavit et scripsit Bentleius.* 10. cantum *plerique codd.*: cantu *Parisinus* 7973 *cum aliis paucis.*

Cetera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem
Delassare valent Fabium, Ne te morer, audi
Quo rem deducam. Siquis deus 'En ego' dicat
'Iam faciam quod vultis; eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Heia!
Quid statis?' nolint. Atqui licet esse beatis.
Quid causae est, merito quin illis Iuppiter ambas
Iratus buccas inflet neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?
Praeterea, ne sic, ut qui iocularia, ridens
Percurram (quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima;
Sed tamen amoto quaeramus seria ludo),
Ille, gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautaeque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria; sicut
Parvola (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit quodcumque potest atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.
Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit et illis utitur ante

---

19. nolint *maior pars codd.*: nolent B *alii pauci*. — beatos *perpauci*. 23. ne aBRγδπLσ *alii*: nec *non multi, in his* φψλlg[1]. 24. discere *nonnulli, ut* aRγπL. 27. amisso *pro* amoto B *alii pauci*. 29. caupo *omnes fere codd.*: campo *perpauci deteriores*.

Quaesitis sapiens, cum te neque fervidus aestus
Demoveat lucro, neque hiemps, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
Quid iuvat immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
'Quod, si comminuas, vilem redigatur ad assem.'
At ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Milia frumenti tua triverit area centum:
Non tuus hoc capiet venter plus ac meus, ut si
Reticulum panis venalis inter onusto
Forte vehas umero, nihilo plus accipias quam
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra
Naturae finis viventi, iugera centum an
Mille aret? 'At suave est ex magno tollere acervo.'
Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut tibi si sit opus liquidi non amplius urna
Vel cyatho, et dicas 'magno de flumine malim,
Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere.' Eo fit,
Plenior ut siquos delectet copia iusto,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget, quanto est opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam neque vitam amittit in
[undis.

---

38. sapiens φψλlδdπ *alii pauci, quos defendit Bentleius*: patiens *plerique codd., in his* aBRLγgσ, *quorum nonnulli* c *pro* t *exhibent*; *recepit Holderus, probante Kellero.* 39. Dimoveat *aliquot codd., veluti* γφψλlδdσg. 46. quam *pro* ac *praebent* aγLg *alii.* 55. malim R¹φψλlδπ *alii*: mallem aγLgσ *alii*: malle *admodum pauci, in his* B. 57. delectat *pauci, ut* φψλlσ. 58. avolsos *aliquot, velut* φψλlR¹g. 59. tantulo *nonnulli codd., ut* φψλl. — quantum est *Bentleius cum Lambini libris.*

At bona pars hominum decepta cupidine falso
'Nil satis est', inquit, 'quia tanti quantum habeas [sis.'
Quid facias illi? Iubeas miserum esse, libenter
Quatenus id facit: ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives populi contemnere voces
Sic solitus: 'populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.'
Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? Mutato nomine de te
Fabula narratur: congestis undique saccis
Indormis inhians et tamquam parcere sacris
Cogeris aut pictis tamquam gaudere tabellis.
Nescis quo valeat nummus? quem praebeat usum?
Panis ematur, holus, vini sextarius, adde
Quis humana sibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc iuvat? Horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
At si condoluit temptatum frigore corpus
Aut alius casus lecto te adfixit, habes qui

61. At *perpauci, in his* σ, *Parisini* 7973, 8218: Ut *ceteri*. 63. miserum *codd.*: miseram *ex Marcilii coniectura recepit Bentleius, qui* libenter *cum* miseram esse, *dempta distinctionis nota, coniunxit*. 64. facit, ut quidam (memoratur) Athenis *distinxit Doederlinus*. 72. aut *omnes prope codd.*: ac *Parisini* 7978, 8213 *cum* β. 79. optarem aBγg¹σ *alii*. 81. adflixit *maior pars codd., receperunt Holderus, Hirschfelderus, alii, improbante Kellero*: adfixit σ *cum perpaucis, probantibus Bentleio, Kirchnero, Rittero, Luc. Muellero, Kellero, aliis*.

Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet ac reddat gnatis carisque propinquis?
Non uxor salvum te vult, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
Miraris, cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet, quem non merearis, amorem?
An si cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,
Infelix operam perdas, ut siquis asellum
In campo doceat parentem currere frenis?
Denique sit finis quaerendi, cumque habeas plus,
Pauperiem metuas minus et finire laborem
Incipias parto quod avebas, ne facias quod
Ummidius quidam. Non longa est fabula. Dives
Ut metiretur nummos, ita sordidus, ut se
Non umquam servo melius vestiret, ad usque
Supremum tempus, ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.
'Quid mi igitur suades? ut vivam Naevius aut sic

---

83. reddat gnatis aβ *alii pauci*: reddat natis BRγφψλlπ *alii*: natis reddat Lδσ *alii pauci*: gnatis reddat g *et tres Blandinii*. 88. At *pro* An φψλlδg *alii*: Ac γ *cum perpaucis*: Ut a. – sic *pro* si *ex coniectura Sabbadinius*. 89, 90. amicos Infelix, operam *distinxit Doederlinus*. 91. campum *nonnulli, veluti* φψλlδLg. 92. cumque *codd.*: quoque *edidit Muretus, recepit Doederlinus*. 94. habebas φψλlπL *alii pauci*. 95. Ummidius *vel* Umidius *plerique codd.*: Humidius *pauci, in his* Rφψ. – qui tam *pro* quidam *coniecit Bentleius*. 101. Naevius *omnes Holderi et Kelleri codd.*: Maenius *protulit Glareanus, recepit Bentleius, quem imitati sunt Kirchnerus, Luc. Muellerus*: Mevius *editt. veteres*. – aut sic *maior pars codd.*: an si *pauci, ut* Bg: ac si l, *alii perpauci*.

Ut Nomentanus?' Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere. Non ego, avarum
Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.
Est inter Tanain quiddam socerumque Viselli:
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Illuc, unde abii, redeo, nemo ut avarus
Se probet ac potius laudet diversa sequentis,
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat, neque se maiori pauperiorum
Turbae comparet, hunc atque hunc superare laboret.
Sic festinanti semper locupletior obstat,
Ut, cum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Praeteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat et exacto contentus tempore vita
Cedat uti conviva satur, reperire queamus.
Iam satis est. Ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

---

108. nemo ut *unus Blandinius cum aliis paucis, receperunt Kirchnerus, Ritterus, Holderus, Dillenburgerus, alii*: qui nemo ut *Blandinius vetustiss., probaverunt Luc. Muellerus, Mewesius, Sabbadinius, alii*: nemon ut *aliquot codd., ut* aBRγ, *Parisini* 7978, 8218, *quod anteponendum esse censuit Bentleius*: ne non ut φψλlδπLg *alii*: nemoque ut *ex coniectura Doederlinus*: quia nemo (*om.* ut) *Fritzschius*: *alii alia coniecerunt.* 113. obstet B *cum aliis perpaucis.* 115. suis aγLg *alii.* 118. vitae, *nonnulli, in his* φψλl.

II.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
Maestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli;
Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus esse
Dicatur metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo duramque famem propellere possit.
Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,
Omnia conductis coemens obsonia nummis;
Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi,
Respondet. Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappae famam timet ac nebulonis
[Dives agris, dives positis in faenore nummis]:
Quinas hic capiti mercedes exsecat atque,
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget;
Nomina sectatur, modo sumpta veste virili,
Sub patribus duris tironum. 'Maxime' quis non
'Iuppiter!' exclamat, simul atque audivit? 'At in se
Pro quaestu sumptum facit.' Hic? Vix credere possis,

I 2. — 6. propellere aBγ*pr.*Lgσβ *alii*: depellere Rφψλlδπ *cum Parisinis* 7978, 8218, *quod praetulit Bentleius*. 12. Fusidius *aliquot codd., in his* φψλlδπ: Futidius Bg *cum Blandinio vetustiss.* 13. *Hunc versum, quem uncis inclusi, nescio an ut glossema sequenti versui ex Art. poet. v.* 421 *adscriptum recte dixerit Sanadonus, probantibus Holdero, Kellero, Luc. Muellero, aliis multis.* 18. exclamet *perpauci, ut* δσ. — ipse *pro* in se *admodum pauci, ut* β. 19. facit hic.' Vix credere *distinxerunt Holderus, Luc. Muellerus, Kellerus, Hirschfelderus, alii multi.* — hoc *pro* hic gφψλlδ *alii pauci.*

Quam sibi non sit amicus, ita ut pater ille, Terenti
Fabula quem miserum gnato vixisse fugato
Inducit, non se peius cruciaverit atque hic.
Siquis nunc quaerat 'quo res haec pertinet?' illuc:
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Maltinus tunicis demissis ambulat; est qui
Inguen ad obscenum subductis usque facetus.
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.
Nil medium est. Sunt qui nolint tetigisse nisi illas
Quarum subsuta talos tegat instita veste;
Contra alius nullam nisi olenti in fornice stantem.
Quidam notus homo cum exiret fornice, 'macte
Virtute esto' inquit sententia dia Catonis:
'Nam simul ac venas inflavit taetra libido,
Huc iuvenes aequum est descendere, non alienas
Permolere uxores'. 'Nolim laudarier' inquit
'Sic me' mirator cunni Cupiennius albi.
Audire est operae pretium, procedere recte
Qui moechis non vultis, ut omni parte laborent,
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque haec rara, cadat dura inter saepe pericla.
Hic se praecipitem tecto dedit; ille flagellis

---

25. Maltinus Bφψλlg *alii*: Malthinus *nonnulli, velut* Rπδd: Malchinus aγLβ *alii, probantibus Bentleio et Kirchnero.* 26, 27. usque; facetus Pastillos Rufillus *Doederlinus.* – Gorgonius *aliquot codd., ut* φψ *corr.* λ*l.* 28. Nil medium est? *Doederlinus.* – nolunt aφ*l cum paucis.* 30. olente g *corr., adversantibus ceteris, edidit Bentleius.* 33. taetra *codd.*, B *non excepto, in quo librarius* taetra *ex* tecta *effecit. Nihilominus* tecta *probavit Luc. Muellerus.* 38. moechos *pauci codd., ut* φψ*l, quibus obsecuti sunt Bentleius, Luc. Muellerus, alii.* – vultis *omnes codd.*

Ad mortem caesus; fugiens hic decidit acrem
Praedonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos;
Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
Accidit, ut quidam testis caudamque salacem
Demeteret ferro. 'Iure' omnes; Galba negabat.
Tutior at quanto merx est in classe secunda,
Libertinarum dico, Sallustius in quas
Non minus insanit quam qui moechatur. At hic si,
Qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste
Munifico esse licet, vellet bonus atque benignus
Esse, daret quantum satis esset, nec sibi damno
Dedecorique foret. Verum hoc se amplectitur uno,
Hoc amat et laudat: 'matronam nullam ego tango.'
Ut quondam Marsaeus, amator Originis ille,
Qui patrium mimae donat fundumque laremque,
'Nil fuerit mi' inquit 'cum uxoribus umquam alienis.'
Verum est cum mimis, est cum meretricibus, unde
Fama malum gravius quam res trahit. An tibi abunde
Personam satis est, non illud, quicquid ubique
Officit, evitare? Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicumque. Quid
[inter

45, 46. quidam . . . Demeteret ferro *omnes prope codd.*: cuidam *duo Lambini codd., unus Cruquii; quapropter Lambinus sic edi voluit probante Doederlino*, cuidam . . . Demeteret ferrum, *pro* ferro *illud* ferrum *ex coniectura reponens*: cuidam . . . Demeterent ferro *coniecit Barthius*; *in eandem coniecturam incidit Bentleius*. 48. in qua *cum codice Regio Bentleius*: in quis *Paris*. 7979, *Nic. Heinsius coniecit*: in quas *omnes bonae notae codd.* 51. munifico *maior pars codd.*: munificum φψλlδdπ[1] *alii pauci*.

Est in matrona, ancilla peccesne togata?
Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno
Nomine deceptus, poenas dedit usque superque
Quam satis est, pugnis caesus ferroque petitus,
Exclusus fore, cum Longarenus foret intus.
Huic si muttonis verbis mala tanta videnti
Diceret haec animus: 'quis vis tibi? numquid ego a te
Magno prognatum deposco consule cunnum
Velatumque stola, mea cum conferbuit ira?'
Quid responderet? 'Magno patre nata puella est.'
At quanto meliora monet pugnantiaque istis
Dives opis natura suae, tu si modo recte
Dispensare velis ac non fugienda petendis
Immiscere! Tuo vitio rerumne labores,
Nil referre putas? Quare, ne paeniteat te,
Desine matronas sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic inter niveos viridisque lapillos

---

63. peccesne *coniecit Lambinus; paucorum codd. auctoritate confirmavit Bentleius*: peccesve *omnes paene codd., recepit Fritzschius.* 64. Sullae. *Ita scripsi, Bentleium, Kirchnerum, alios secutus, etsi codd.* y *vel* i *exhibent.* 68. muttonis *scribendum esse ex omnibus fere codd. apparet*: mutonis *praebet* a *cum perpaucis, quos pluris fecerunt Bentleius, Luc. Muellerus.* — videnti *omnes prope codd.*: videntis *admodum pauci, in his Parisinus 7978, improbavit Bentleius, receperunt Luc. Muellerus et Dillenburgerus.* 78. matronas sectarier *pauci, ut* δσβ *corr., Parisinus* 8213: matronas sectari β*pr. cum perpaucis*: sectari matronas aBγφψλ*lg alii.* 80, 81. Sit ... tuum *maior pars codd.*: Sit ... tuo *ex nonnullis codd. recepit Bentleius, qui, hoc reiecto, sic legit et distinxit* Nec magis huic, inter niveos viridisque lapillos Sit licet, o Cerinthe, tuo tenerum est femur e. q. s.; *Bentleii auctoritatem secutus est Luc. Muellerus, qui tamen hoc restituit*: huic, inter ... lapillos Sit licet (hoc, Cerinthe, tuum), tenerumst e. q. s. *distinxit Sabbadinius,*

(Sit licet hoc, Cerinthe, tuum) tenerum est femur aut
Rectius atque etiam melius persaepe togatae. [crus
Adde huc quod mercem sine fucis gestat, aperte
Quod venale habet ostendit, neque, siquid honesti est,
Iactat habetque palam, quaerit quo turpia celet.
Regibus hic mos est: ubi equos mercantur, opertos
Inspiciunt, ne, si facies, ut saepe, decora
Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem,
Quod pulchrae clunes, breve quod caput, ardua cervix.
Hoc illi recte: ne corporis optima Lyncei
Contemplere oculis, Hypsaea caecior illa,
Quae mala sunt, spectes. 'O crus! o bracchia!' Verum
Depugis, nasuta, brevi latere ac pede longo est.
Matronae praeter faciem nil cernere possis,
Cetera, ni Catia est, demissa veste tegentis.
Si interdicta petes vallo circumdata (nam te
Hoc facit insanum), multae tibi tum officient res,
Custodes, lectica, ciniflones, parasitae,
Ad talos stola demissa et circumdata palla,
Plurima quae invideant pure apparere tibi rem.

---

82. togatae (*vel* togate) est *codd. Blandinii, Bentleius, Luc. Muellerus, Meinekius, alii.* 84. neque *omnes prope codd.*: nec *pauci, in his* Bg. 86. Regibus *omnes codd.*: Thraecibus *coniecit Kiesslingius, refutavit Kellerus.* 88. inducat *codd.*: ducat *maluit Bentleius, coll. Pers., Sat.*, V, 176. 90. Lyncei BRγδ, *praeterea Blandin. vetustiss., alii pauci, suffragante Bentleio*: Lynceis *vel* Linceis *multi codd., in his* φψλlLg. 91, 92. Contemplare *pro* Contemplere γB *cum perpaucis, probante Bentleio, qui nullius codicis auctoritate fretus* spectes *mutavit in* spectas. 93. Depugis *pauci, veluti* BR^{1}L^1: depygis *maior pars codd.*: depigis *nonnulli, ut* λ. 97. officient *plerique codd.*: officiunt φψλlσβ^2 *alii pauci.*

Altera, nil obstat: Cois tibi paene videre est
Ut nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi;
Metiri possis oculo latus. An tibi mavis
Insidias fieri pretiumque avellier ante
Quam mercem ostendi? 'Leporem venator ut alta
In nive sectetur, positum sic tangere nolit,'
Cantat et apponit: 'meus est amor huic similis: nam
Transvolat in medio posita et fugientia captat.'
Hiscine versiculis speras tibi posse dolores
Atque aestus curasque gravis e pectore pelli?
Nonne, cupidinibus statuat natura modum quem,
Quid latura, sibi quid sit dolitura negatum,
Quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?
Num, tibi cum fauces urit sitis, aurea quaeris
Pocula? num esuriens fastidis omnia praeter
Pavonem rhombumque? Tument tibi cum inguina,
[num, si
Ancilla aut verna est praesto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego: namque parabilem amo venerem facilemque.
Illam 'Post paulo', 'Sed pluris', 'Si exierit vir'
Gallis, hanc Philodemus ait sibi, quae neque magno
Stet pretio neque cunctetur, cum est iussa venire.
Candida rectaque sit, munda hactenus, ut neque longa

---

101. Clorin *pro eo quod est* Cois *Paris.* 7973: Clorim *Paris.* 8213. 110. pelli *omnes prope codd.*: tolli B, *Blandin. vetustiss., alii perpauci, probaverunt Bentleius, Kirchnerus, Luc. Muellerus, Fritzschius, Mewesius, Sabbadinius, alii*: velli *coniecerat Nic. Heinsius, quod, teste Bentleio, etiam in Collegii Trinitatis codice clare exhibetur.* 117. aut puer *nonnulli, velut* φψλl. 121. Philodamus *aliquot codd., ut* BLφψλl.

Nec magis alba velit, quam dat natura, videri.
Haec, ubi supposuit dextro corpus mihi laevum,
Ilia et Egeria est; do nomen quodlibet illi,
Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Ianua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vae! pallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet,
Cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mi.
Discincta tunica fugiendum est et pede nudo,
Ne nummi pereant aut puga aut denique fama.
Deprendi miserum est: Fabio vel iudice vincam.

III

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut numquam inducant animum cantare rogati,

---

124. det Rφψλ*l* *alii pauci.* 127. metuo *pro* vereor Rφψλ*l* *cum paucis.* 129. vae! pallida. „*Quidam putant* vepallida *unam partem orationis esse, quomodo* vesana; *sed magis dividendum est, ut* vae *interiectio sit.* „ *Verba sunt Pseudo-Acronis* (*ed. Hauthal*). *Eandem sententiam protulit Porphyrion. Ceterum in plerisque codicibus spatium aut punctum conspicitur inter* ve (*etiam* vae) *et* pallida (*cfr. Keller., Epil.*, p. 444): ne pallida *cum duobus codd. Bentleius*: vepallida *Luc. Muellerus, Fritzschius, Dillenburgerus, Hirschfelderus, Mewesius, alii*: resonet via, pallida *coniecit Th. Bergkius.* 130. Dissiliat Rφψλ*l*L *alii.* 131. doti haec deprensa *coniecit Nic. Heinsius, edidit Bentleius.* 132. ac *pro* et σ *cum aliis perpaucis, probantibus Fritzschio et Mewesio.* 133. puga *pauci, ut* R *ante ras.* λ *corr.* β *a. ras.*: pyga aγgL *alii*: pyge φψλ *pr. alii*: fuga B.

Iniussi numquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quicquam proficeret: si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala citaret 'io Bacchae' modo summa
Voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.
Nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui
Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
Iunonis sacra ferret; habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos; modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens, modo 'sit mihi mensa tripes et
Concha salis puri et toga, quae defendere frigus,
Quamvis crassa, queat'. Deciens centena dedisses
Huic parco, paucis contento: quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat. Nil fuit umquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi 'quid tu?
Nullane habes vitia?' Immo alia, et fortasse minora.
Maenius absentem Novium cum carperet, 'heus tu'
Quidam ait 'ignoras te, an ut ignotum dare nobis
Verba putas?' 'Egomet mi ignosco' Maenius inquit.
Stultus et improbus hic amor est dignusque notari.

I 3. — 7. citaret *codd.*: iteraret *coniecit et scripsit Bentleius*. — Bacchae BR *cum aliis paucis, commendavit Lachmannus*: Bacche *maior pars* codd., *probantibus Bentleio et Dillenburgero*. 8. resonet *pauci, ut* ψλlg. 9. velut quis *ex coniectura scripsit Sabbadinius*. 11. habebat, *omnes paene codd.*: halebat *unus Vossianus*: alebat *emendandum esse existimavit Bentleius*. 20. et fortasse *omnes fere codd.*: haud fortasse *perpauci, Aldus, refutavit Bentleius*.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? At tibi
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi. [contra
Iracundior est paulo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum; rideri possit eo quod
Rusticius tonso toga defluit et male laxus
In pede calceus haeret; at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. Denique te ipsum
Concute, numqua tibi vitiorum inseverit olim
Natura aut etiam consuetudo mala: namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc praevertamur, amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia aut etiam ipsa haec
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae.
Vellem in amicitia sic erraremus, et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
Ac pater ut gnati, sic nos debemus, amici

---

25. Cum tua pervideas *omnes prope codd.*: praevideas *cod. Regiae Societatis quo, teste Bentleio, Rutgersii coniectura firmatur*: praetereas *coniecit Mervilius*: Cum tua tu videas *maluit Bentleius, qui tamen illud* praevideas *servavit, sed, aliquot Cruquii codd. auctoritate permotus*, male *pro* mala *legendum esse contendit, quod confirmavit Luc. Muellerus in Prol.*, LI. 27. Ac *pro* At *maior pars codd.*: At *exhibet* σ *cum Parisinis* 7973, 8213: Ad (= At) R1. 34. corpore *plerique codd.*: pectore φψλ*l alii pauci, quod non improbavit Lambinus, sprevit Bentleius.* 40. Agnae φψλ*l*L *alii.* 42. virtus nomen *perpauci, ut* λ*l.* 43. Ac BγgL *alii*: At *nonnulli, in his* aφψλ*l*, *receperunt Bentleius, Kirchnerus, Luc. Muellerus, Mewesius, alii, damnavit Ritterus,*

Siquod sit vitium, non fastidire: strabonem
Appellat paetum pater, et pullum, male parvus
Sicui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus; hunc varum distortis cruribus, illum
Balbutit scaurum, pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit: frugi dicatur. Ineptus
Et iactantior hic paulo est: concinnus amicis
Postulat ut videatur. At est truculentior atque
Plus aequo liber: simplex fortisque habeatur.
Caldior est: acris inter numeretur. Opinor,
Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit, multum demissus homo: illi
Tardo cognomen, pingui damus. Hic fugit omnis
Insidias nullique malo latus obdit apertum,
Cum genus hoc inter vitae versetur, ubi acris
Invidia atque vigent ubi crimina: pro bene sano
Ac non incauto fictum astutumque vocamus.
Simplicior quis et est, qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone: ' molestus,
Communi sensu plane caret ' inquimus. Eheu,

---

56. incurtare *pauci*, *ut* BL. 56-58. Probus quis Nobiscum vivit, multum demissus homo ille: Tardo ac cognomen pingui damus *Bentleius*, *probantibus Luc. Muellero et Dillenburgero*, *qui tamen illud* ac *ex coniectura additum deleverunt*, *sic interpungentes* Tardo cognomen, pingui damus. *Ceterum* illi *omnes fere codd. praebent*; ille *Blandin. vetustiss.* 60. versemur *cum Blandin. vetustiss. Bentleius*, *Luc. Muellerus*, *Hirschfelderus*, *Mewesius*, *alii.* 65. impellat *codd.*: appellet *coniecit Lambinus*: inpediat *Bentleius*.

Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut aequum est,
Cum mea compenset vitiis bona; pluribus hisce,
Si modo plura mihi bona sunt, inclinet, amari
Si volet: hac lege in trutina ponetur eadem.
Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Postulat, ignoscet verrucis illius: aequum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.
Denique, quatenus excidi penitus vitium irae,
Cetera item nequeunt stultis haerentia, cur non
Ponderibus modulisque suis ratio utitur, ac res
Ut quaeque est, ita suppliciis delicta coercet?
Siquis eum servum, patinam qui tollere iussus
Semesos piscis tepidumque ligurrierit ius,
In cruce suffigat, Labeone insanior inter
Sanos dicatur. Quanto hoc furosius atque
Maius peccatum est! Paulum deliquit amicus
(Quod nisi concedas, habeare insuavis): acerbus
Odisti et fugis, ut Rusonem debitor aeris,
Qui nisi, cum tristes misero venere Kalendae,

71, 72. inclinet. Amare si volet hac lege, in trutina ponetur eadem *Luc. Muellerus, qui* amare *ex Doeringii coniectura recepit.* 74. ignoscat *admodum pauci cum* B. 79. coercet aγφψ *alii pauci:* cohercet *maior pars codd., adprobavit Luc. Muellerus.* 82. Labeone *codd.*: Labieno *maluit Bentleius, sed vulgatam lectionem retinuit.* 85, 86. Quoi nisi *coniecit Bentleius.* — insuavis: acerbus Odisti *Bentleius, Holderus, Fritzschius, Hirschfelderus, Meuesius, alii:* insuavis, acerbus: Odisti *Luc. Muellerus, Sabbadinius, Orellium secuti.* — Rusonem *omnes codd., si perpaucos excipias, in his Paris.* 7978, 8218, *qui* Drusonem *praebent.*

Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto iugulo historias captivus ut audit.
Comminxit lectum potus mensave catillum
Euandri manibus tritum deiecit: ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit, aut si
Prodiderit commissa fide sponsumve negarit?
Quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est: sensus moresque [repugnan
Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.
Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia [propter
Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus,
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere: dehinc absistere bello,
Oppida coeperunt munire et ponere leges,
Nequis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus taeterrima belli
Causa; sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos venerem incertam rapientis more ferarum
Viribus editior caedebat, ut in grege taurus.

---

91. tortum *cum duobus codd. fortasse scribendum esse opinatu est Bentleius*: sculptum *codex Collegii Trinitatis, qui, iudice Bentleio et aetatis et notae sequioris est*: tritum *ceteri codd.* 107. taeter-rima *nonnulli, ut* RΦψ: teterrima *ceteri, si* g *excipias, ubi est* de-terrima, *quod praeferendum esse censuit Luc. Muellerus.*

Iura inventa metu iniusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
Nec natura potest iusto secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis;
Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet
[idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti
Et qui nocturnus sacra divum legerit. Adsit
Regula, peccatis quae poenas inroget aequas,
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.
Nam, ut ferula caedas meritum maiora subire
Verbera, non vereor, cum dicas esse paris res
Furta latrociniis et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus et solus formosus et est rex,
Cur optas quod habes? 'Non nosti, quid pater' inquit
'Chrysippus dicat: sapiens crepidas sibi numquam
Nec soleas fecit; sutor tamen est sapiens.' Qui?
'Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator; ut Alfenus vafer omni
Abiecto instrumento artis clausaque taberna
Sutor erat; sapiens operis sic optimus omnis

---

116. infregerit *ex Nic. Heinsii coniectura Bentleius.* 128. Quo? *omnes fere codd.; sed* Qui? *legendum est cum* B, *quod quidem exhibent etiam unus Blandinius, cod. Collegii Trinitatis, alii pauci, quibus hic primas concessit Bentleius.* 132. Sutor erat *omnes codd.*: Tonsor erat « *erasis characteribus* » *habuit Blandinius vetustiss., teste Cruquio; receperunt Bentleius, Luc. Muellerus, Fritzschius, alii.*

Est opifex solus, sic rex.' Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri; quos tu nisi fuste coerces,
Urgeris turba circum te stante miserque
Rumperis et latras, magnorum maxime regum.
Ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum
Rex ibis neque te quisquam stipator ineptum
Praeter Crispinum sectabitur, et mihi dulces
Ignoscent, siquid peccaro stultus, amici
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatusque magis vivam te rege beatus.

IIII

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae
Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,
Siquis erat dignus describi, quod malus ac fur,
Quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,
Mutatis tantum pedibus numerisque, facetus,
Emunctae naris, durus componere versus.
Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.

---

188. Est opifex, solus sic rex *distinxerunt Kirchnerus, Luc. Muellerus, Sabbadinius, alii, perpaucorum codd. praesidio muniti*: sic rex solus *praebent nonnulli, ut* λ. — Vellent *admodum pauci, in his* σ1, *Parisinus* 7978. 140. peccabo Rg *cum aliis paucis*. 142. Privatim *pauci, veluti* λl : Privatum *Parisinus* 7978 : Privatus *omnes paene codd.*

Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles;
Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte: nam ut multum, nil moror. Ecce,
Crispinus minimo me provocat: 'accipe, si vis,
Accipe iam tabulas; detur nobis locus, hora,
Custodes; videamus uter plus scribere possit.'
Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis;
At tu conclusas hircinis follibus auras
Usque laborantis, dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius ultro
Delatis capsis et imagine, cum mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis ob hanc rem,
Quod sunt quos genus hoc minime iuvat, utpote [pluris
Culpari dignos. Quemvis media elige turba:
Aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum;
Hunc capit argenti splendor; stupet Albius aere;
Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo

I 4. – 11. Cum flueret, lutulentus erat, quod tollere velles Garrulus *distinxit Doederlinus.* 14. minimo, *codd.; sed* mimo σ *pr., quod iam coniecerat Nic. Heinsius*: nummo *ex coniectura protulit Bentleius*: numero *coniecit Horkelius, recepit Doederlinus.* 15. Accipe iam aLgσ *alii*: Accipiam *complures, in his Blandinius vetustiss.*, Rφψλlβγ. – dentur φψλlL *alii.* 18. loquentem *ex Lambini coniectura recepit Bentleius.* 20. emolliat, *adversantibus codd., Bentleius.* 25. elige aγgLσ *alii*: erue Rφψλl *alii, quos potiores habuerunt Kirchnerus et Dillenburgerus*: eripe *tres Blandinii, alii pauci*: arripe *Horatium scripsisse iudicavit Bentleius.* 26. miser Rφψλl L *pr., alii pauci.*

Vespertina tepet regio; quin per mala praeceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, nequid
Summa deperdat metuens aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt versus, odere poetas.
'Faenum habet in cornu: longe fuge! dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico,
Et quodcumque semel chartis inleverit, omnis
Gestiet a furno redeuntis scire lacuque
Et pueros et anus.' Agedum, pauca accipe contra.
Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetas,
Excerpam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque, siqui scribat uti nos
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.
Idcirco quidam comoedia necne poema
Esset quaesivere, quod acer spiritus ac vis
Nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo
Differt sermoni, sermo merus. 'At pater ardens
Saevit, quod meretrice nepos insanus amica
Filius uxorem grandi cum dote recuset,
Ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante

---

30. tepet aγgLβσ *alii*: patet R^1φψλlL *corr.*, *alii pauci*. 33. poetas *omnes ad unum codd.*: poetam *maluit Bentleius*, *probaverunt Luc. Muellerus et Sabbadinius*. 35. sibi *codd.*: tibi *Rutgersius*. 39. poetas *omnes fere codd.*: poetis R^1, *Nic. Heinsius*, *Bentleius*, *Luc. Muellerus*, *Hirschfelderus*, *Sabbadinius*, *alii*. 41. siquis *pauci*, *in his* gσ. 50. grandem *pauci*, *veluti* Rφψλl.

Noctem cum facibus.' Numqui Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergo
Non satis est puris versum perscribere verbis,
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater. His, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa modosque et, quod prius ordine [verbum est,
Posterius facias, praeponens ultima primis,
Non ut si solvas 'postquam discordia taetra
Belli ferratos postis portasque refregit,'
Invenias etiam disiecti membra poetae.
Hactenus haec: alias iustum sit necne poema:
Nunc illud tantum quaeram, meritone tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
Ambulat et Caprius, rauci male cumque libellis,
Magnus uterque timor latronibus; at bene siquis
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.
Ut sis tu similis Caeli Birrique latronum,
Non ego sim Capri neque Sulci: cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Quis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigelli;

---

52. Numquid *maior pars codd., cui obsecuti sunt plurimi, improbantibus Fritzschio, Kellero, Holdero in edit. min., aliis.* 60. ut *plerique codd.*: et *perpauci, veluti* γL. 65. Sulgius *nonnulli, ut* Rφψλ*l*. 69. Ut *maior pars codd.*: Et *perpauci, in his Paris*. 7973. 70. sim *omnes paene codd., probantibus Kirchnero, Rittero, Holdero, Kellero, Luc. Muellero, Fritzschio, aliis*: sum *pauci Torrentii et aliorum codd., quos praetulerunt Orellius, Doederlinus, alii pauci.* 72. volgi *perpauci, in his* R[1]. 73. Non recitem *aliquot Lambini codd.*: Nec recitem quicquam *Bentleius.*

Nec recito cuiquam nisi amicis, idque coactus,
Non ubivis coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes:
Suave locus voci resonat conclusus. Inanis
Hoc iuvat, haud illud quaerentis, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno. 'Laedere gaudes'
Inquit 'et hoc studio pravus facis.' Unde petitum
Hoc in me iacis? Est auctor quis denique eorum,
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu, Romane,
[caveto.
Saepe tribus lectis videas cenare quaternos,
E quibus unus avet quavis adspergere cunctos
Praeter eum qui praebet aquam; post hunc quo-
[que potus,
Condita cum verax aperit praecordia Liber.
Hic tibi comis et urbanus liberque videtur,
Infesto nigris: ego si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio siquae

76, 77. conclusus, inanis. Hoc iuvat *distinxit Doederlinus.* 79. Inquit aLγ *alii pauci*: Inquis Rφψλlgβσ *alii.* 87. unus aRγgLβσ *alii*: imus *pauci, velut* φψλl. — amet *cum Blandinio vetustiss. Bentleius, probantibus Kirchnero, Doederlino, Luc. Muellero, Hirschfeldero, Sabbadinio, aliis.* 88. aquam *codd.*: aqua *Muretus, Doederlinus.* 93. si quae aγLg *alii*: siqua *complures codd., in his* Rφψλlβσ, *Bentleius, Luc. Muellerus, Dillenburgerus, alii.*

De Capitolini furtis iniecta Petilli
Te coram fuerit, defendas, ut tuus est mos:
'Me Capitolinus convictore usus amicoque
A puero est causaque mea permulta rogatus
Fecit, et incolumis laetor quod vivit in urbe;
Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
Fugerit.' Hic nigrae sucus lolliginis, haec est
Aerugo mera; quod vitium procul afore chartis
Atque animo prius, ut siquid promittere de me
Possum aliud vere, promitto. Liberius si
Dixero quid, si forte iocosius, hoc mihi iuris
Cum venia dabis. Insuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.
Cum me hortaretur parce frugaliter atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset:
'Nonne vides, Albi ut male vivat filius utque
Baius inops? Magnum documentum, ne patriam [rem
Perdere quis velit.' A turpi meretricis amore
Cum deterreret: 'Scetani dissimilis sis.'
Ne sequerer moechas, concessa cum venere uti

---

94. Capitolinis φψλl *alii*. 100. lolliginis *codd.*: loliginis *Bentleius, Doederlinus, Luc. Muellerus*. 103. aliquid *pro eo quod est* aliud R[1] *ut vid.* φψλlgL *alii*. – aliud, vere promitto *distinxit et defendit Doederlinus*. 108. parassem *perpauci, ut* λl. 109. atque *pro* utque gβ, *alii pauci*: ut qui *cod. Galeanus, probante Bentleio, qui tamen illud* utque *servavit*. 110. Barus Rφψλlgβ *alii, retinuit Bentleius, sed* Panis *potius legendum esse censuit*: Varus L: Barrus *Paris.* 7978. 112. deterrerer *admodum pauci, ut* γL *pr.* – Scetani *maior pars codd.*: Sectani g: Setani σ: Serani *Paris.* 8218.

Possem: 'Deprensi non bella est fama Treboni'
Aiebat. 'Sapiens, vitatu quidque petitu
Sit melius, causas reddet tibi: mi satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare tuamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum. Simul ac duraverit aetas
Membra animumque tuum, nabis sine cortice.' [Sic me
Formabat puerum dictis, et sive iubebat,
Ut facerem quid, 'habes auctorem, quo facias hoc'
(Unum ex iudicibus selectis obiciebat),
Sive vetabat, 'an hoc inhonestum et inutile factu
Necne sit addubites, flagret rumore malo cum
Hic atque ille?' Avidos vicinum funus ut aegros
Exanimat mortisque metu sibi parcere cogit,
Sic teneros animos aliena opprobria saepe
Absterrent vitiis. Ex hoc ego sanus ab illis,
Perniciem quaecumque ferunt, mediocribus et quis
Ignoscas vitiis teneor. Fortassis et istinc
Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
Consilium proprium: neque enim, cum lectulus [aut me
Porticus excepit, desum mihi. 'Rectius hoc est,
Hoc faciens vivam melius. Sic dulcis amicis
Occurram. Hoc quidam non belle: numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile?' Haec ego mecum
Compressis agito labris; ubi quid datur oti,

---

124. factu *pauci, in his* ψλl: factum aγLβσgφ *alii, quibus palmam dederunt Ritterus, Doederlinus, Fritzschius, alii; receperat etiam Holderus in edit. mai.* 132. abstulerint aγL *alii multi.*

Inludo chartis. Hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum; cui si concedere nolis,
Multa poetarum veniat manus, auxilio quae
Sit mihi (nam multo plures sumus) ac veluti te
Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.

V

Egressum magna me accepit Aricia Roma
Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,
Graecorum longe doctissimus: inde Forum Appi,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum: minus est gravis Appia tardis.
Hic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, cenantis haud animo aequo
Exspectans comites. Iam nox inducere terris
Umbras et caelo diffundere signa parabat:
Tum pueri nautis, pueris convicia nautae
Ingerere: 'huc appelle:' 'trecentos inseris:' 'ohe!

---

139. Inludo aγRgσ *alii*: Incumbo *nonnulli*, velut Lφψλ*l*. 140. noles *coniecit Bentleius*. 141. veniat *plerique codd.*: veniet σ *cum aliis perpaucis*, *edidit Bentleius*, *quem secuti sunt Doederlinus*, *Fritzschius*, *Luc. Muellerus*, *Dillenburgerus*, *Hirschfelderus*, *Mewesius*, *Sabbadinius*, *alii*. — auxilioque *aliquot codd.*, *ut* R¹φψλ*l*L.

I 5. — 1. accepit aγLgβ *alii*: excepit *complures*, *in his* φψλ*l*, *quos praetulerunt Kirchnerus*, *Doederlinus*, *Luc. Muellerus*, *improbante Kellero*: excipit *pro* excepit R. 3. longe aγR¹σ *alii*: linguae φψλ*l*Lg *alii*: linguam *coniecit Paulyus*. 7. teterrima *ex uno Pulmanni cod. Bentleius*.

Iam satis est.' Dum aes exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. Mali culices ranaeque palustres
Avertunt somnos. Absentem ut cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta atque viator
Certatim, tandem fessus dormire viator
Incipit ac missae pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat stertitque supinus.
Iamque dies aderat, nil cum procedere lintrem
Sentimus; donec cerebrosus prosilit unus
Ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
Fuste dolat. Quarta vix demum exponimur hora.
Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha:
Milia tum pransi tria repimus atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Maecenas optimus atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Inlinere. Interea Maecenas advenit atque
Cocceius Capitoque simul Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antoni, non ut magis alter, amicus.
Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam et latum clavum prunaeque vatillum.

---

15. ut *cum paucis codd. omisit Doederlinus; servarunt* aRγφ ψλβL *alii.* 20. lyntrem *pauci, ut* Rγ, *probante Holdero.* 24. lavimur *coniecit Nic. Heinsius, laudavit atque edidit Bentleius.* 27, 28. Maecenas, optimus atque Cocceius *cum Bentleio distinxerunt Ritterus et Hirschfelderus.* 36. vatillum *omnes prope codd.*: batillum *admodum pauci, in his* σ *corr.*

In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Murena praebente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima: namque
Plotius et Varius Sinuessae Vergiliusque
Occurrunt, animae, qualis neque candidiores
Terra tulit neque quis me sit devinctior alter.
O qui complexus et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim iucundo sanus amico.
Proxima Campano ponti quae villula, tectum
Praebuit, et parochi, quae debent, ligna salemque.
Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
Lusum it Maecenas, dormitum ego Vergiliusque:
Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
Hinc nos Coccei recipit plenissima villa,
Quae super est Caudi cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri,
Musa, velim memores, et quo patre natus uterque
Contulerit litis. Messi clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat: ab his maioribus orti
Ad pugnam venere. Prior Sarmentus 'equi te
Esse feri similem dico.' Ridemus, et ipse
Messius 'accipio', caput et movet. 'O, tua cornu
Ni foret exsecto frons', inquit, 'quid faceres, cum
Sic mutilus minitaris?' At illi foeda cicatrix

---

39. Proxima *perpauci, ut* aγ: Postera *ceteri.* 40. Vergilius R^1 *cum paucis.* 44. praetulerim *admodum pauci, in his Monacensis* 14685 (*pars vetustior*). 46. qui *pro* quae *exhibent perpauci, in his* g. 48. Vergilius R^1 *cum aliis perpaucis.* 51. Caudi L *pr.* g *cum aliis paucis*: Claudi *ceteri.* 60. minitaris aRφψλ*l*g *alii*: miniteris γLσβ *cum paucis, receperunt Bentleius, Kirchnerus, Ritterus, Fritzschius, Dillenburgerus, alii.*

Saetosam laevi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat:
Nil illi larva aut tragicis opus esse coturnis.
Multa Cicirrus ad haec: donasset iamne catenam
Ex voto Laribus, quaerebat; scriba quod esset,
Nilo deterius dominae ius esse: rogabat
Denique, cur umquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, gracili sic tamque pusillo.
Prorsus iucunde cenam producimus illam.
Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes
Paene macros arsit dum turdos versat in igni:
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Volcano summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos cenam servosque timentis
Tum rapere atque omnis restinguere velle videres.
Incipit ex illo montis Apulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus et quos
Numquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset lacrimoso non sine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.
Hic ego mendacem stultissimus usque puellam

---

64. larva aγzσβφψλ*l* *alii*: barba *perpauci, in his* R. – coturnis *codd., cfr. Carm.*, II, 1, 12. 67. Nilo deterius *pauci, in his Dessauiensis A*: Nullo deterius σ *cum perpaucis*: Deterius nihilo *exhibent pauci, ut* g., *sine dubio ad falsum verborum ordinem immutandum, quem plurimi codd. etiamnunc praebent, in his* aγRφψλ^{l1}L^1, *ubi est* Nihilo deterius, *quod edidit Kirchnerus* (Deterius nihilo l^2L^2, *probante Doederlino*). 70. perducimus *admodum pauci, veluti* RgL^2: produximus σ *pr. alii perpauci.* 73. delapso Rφψλlg. 74. Volcano *exhibent* RφψλlL *alii.*

Ad mediam noctem exspecto: somnus tamen aufert
Intentum veneri: tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant ventremque supinum.
Quattuor hinc rapimur viginti et milia raedis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
Signis perfacile est. Venit vilissima rerum
Hic aqua, sed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut soleat umeris portare viator:
Nam Canusi lapidosus, aquae non ditior urna
Qui locus a forti Diomede est conditus olim.
Flentibus hinc Varius discedit maestus amicis.
Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter et factum corruptius imbri.
Postera tempestas melior, via peior ad usque
Bari moenia piscosi; dein Gnatia lymphis
Iratis exstructa dedit risusque iocosque,
Dum flamma sine tura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. Credat Iudaeus Apella,
Non ego: namque deos didici securum agere aevum,
Nec, siquid miri faciat natura, deos id
Tristis ex alto caeli demittere tecto.
Brundisium longae finis chartaeque viaeque est.

---

92. *Hunc versum non horatianum esse iudicavit Bentleius, quod etiam Luc. Muellerus sibi persuasit.* 93. hinc *maior pars codd.*: hic *pauci, in his* g, *adprobantibus Bentleio, Kirchnero, Luc. Muellero, Fritzschio, Sabbadinio, aliis.* 97. dehinc φψλlg *alii pauci.* 99. limiue *plerique codd.*: lumine *vel* flumine *perpauci.* 100. Credet g *cum paucis.* 103. dimittere *aliquot codd., in his* L, *Parisini* 7978, 8213. 104. Brundisium *omnes paene codd.*: Brundusium *pauci deteriores.* — est *omis.* g, *Parisinus* 7978, *Bentleius, Fritzschius, Luc. Muellerus, Sabbadinius.*

VI

Non quia, Maecenas, Lydorum quicquid Etruscos
Incoluit finis, nemo generosior est te,
Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarent,
Ut plerique solent, naso suspendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum.
Cum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus, persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum
Multos saepe viros nullis maioribus ortos
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos:
Contra Laevinum, Valeri genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis
Non umquam pretio pluris licuisse, notante
Iudice, quo nosti, populo, qui stultus honores
Saepe dat indignis et famae servit ineptus,
Qui stupet in titulis et imaginibus. Quid oportet
Nos facere a vulgo longe longeque remotos?
Namque esto, populus Laevino mallet honorem
Quam Decio mandare novo, censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus:
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.
Sed fulgente trahit constrictos Gloria curru

I 6. — 4. imperitarent Rφψλlβ *alii*: imperitarint aγLσ *alii*: imperitarunt *Paris.* 8213. 6. aut *pro* ut aγφψλlσ *alii*. 13. pulsus regno *pauci*, *in his* g.—fuit L *cum paucis*. 18. Vos *ex coniectura edidit Bentleius*. — longe lateque g *cum perpaucis*.

Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tilli,
Sumere depositum clavum fierique tribuno?
Invidia adcrevit, privato quae minor esset.
Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus et latum demisit pectore clavum,
Audit continuo: ‘quis homo hic?’ et ‘quo patre [natus?’
Ut siqui aegrotet quo morbo Barrus, haberi
Ut cupiat formosus, eat quacumque, puellis
Iniciat curam quaerendi singula, quali
Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:
Sic qui promittit, civis, urbem sibi curae,
Imperium fore et Italiam, delubra deorum,
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnis mortalis curare et quaerere cogit.
‘Tune, Syri, Damae aut Dionysi filius, audes

---

24. Tilli aγgφψλLβσ *alii multi*: Tulli R[1]?lσ *corr. cum paucis.* 25. tribuno *omnes prope codd.*: tribunum *perpauci, in his Paris.* 7973 *ab altera manu.* 27. impediet *omnes fere codd.*, *sed* inpediit *Parisini* 7973, 8213: impedit R2 (*omis.* R[1]). 28. dimisit g *cum aliis paucis.* 29. hic et Rφψλlg *alii, quos secuti sunt Doederlinus, Holderus, Kellerus*: hic est aγLβσ *alii, receperunt Kirchnerus, Dillenburgerus, Hirschfelderus, Mewesius*: hic aut *cum paucis codd. Bentleius, probantibus Luc. Muellero, Fritzschio, Sabbadinio, aliis*: est hic *edidit Ritterus.* 30. Et φL *alii pauci.* — siquis γl, *uterque ante rasuram.* 31. Ut λl *cum aliis paucis, probantibus Bentleio, Kirchnero, Hirschfeldero, Kellero et Haeussnero*: Et *maior pars codd.*: et | Percupiat *Paulyus*: ut | Percupiat *Doederlinus.* 35. et delubra *cum nonnullis codd. Bentleius, Kirchnerus, Luc. Muellerus, Dillenburgerus, alii.* 37. cogit *admodum pauci, velut* σ, *Parisini* 7973, 8218: cogat *ceteri.*

Deicere de saxo civis aut tradere Cadmo?'
'At Novius collega gradu post me sedet uno:
Namque est ille, pater quod erat meus.' 'Hoc tibi [Paulus
Et Messalla videris? At hic, si plostra ducenta
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit
Cornua quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos.'
Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum,
Nunc, quia sim tibi, Maecenas, convictor, at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
Dissimile hoc illi est, quia non, ut forsit honorem
Iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,
Praesertim cautum dignos adsumere, prava
Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me possim, casu quod te sortitus amicum:
Nulla etenim mihi te fors obtulit; optimus olim
Vergilius, post hunc Varius dixere quid essem.
Ut veni coram, singultim pauca locutus
(Infans namque pudor prohibebat plura profari)
Non ego me claro natum patre, non ego circum

---

39. Deicere e *perpauci, in his* σ *pr.* g. 43. funera magna, sonabit *distinxerunt Ahlmeyerus et Doederlinus, probantibus Fritzschio, Holdero, Mewesio, aliis.* 47. sim *maior pars codd.*: sum *perpauci, ut* β, *probantibus Bentleio, Kirchnero, Doederlino, Dillenburgero, Luc. Muellero, Mewesio, aliis.* 49. forsit aγβφψλl *alii multi*: fors sit gL: forsan R² (R¹ *non liquet*) λ² *alii pauci.* 53. possim *omnes paene codd.*: possum *pauci correcti, ut* Lσiβ, *probante Doederlino*: possunt *cum interprete Cruquiano Bentleius.* 54. mihi te *omnes fere codd.*: tibi me *interpres Cruq. quem secutus est Bentleius.* 55. Vergilius R¹: Virgilius R² *cum ceteris.*

Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed, quod eram, narro. Respondes, ut tuus est mos,
Pauca: abeo, et revocas nono post mense iubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre praeclaro, sed vita et pectore puro.
Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta, velut si
Egregio insparsos reprehendas corpore naevos,
Si neque avaritiam neque sordes ac mala lustra
Obiciet vere quisquam mihi, purus et insons,
Ut me collaudem, si et vivo carus amicis,
Causa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonos referentes Idibus aeris;
Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artis, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos. Vestem servosque sequentis,
In magno ut populo, siqui vidisset, avita
Ex re praeberi sumptus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnis

---

67. insparsos Raγgβ *alii*: inspersos φψλlσ *alii*. 68. ac mala *omnes prope codd.*: nec mala L *cum Blandinio vetustiss., probantibus Rittero, Fritzschio, Luc. Muellero, Hirschfeldero, Mewesio, aliis*: aut mala *ex coniectura protulit Bentleius*. 75. octonos Raγ *alii*: octenos g *cum paucis*: octonis φψλlLσβ *alii*. – aeris aRγ *pr. cum aliis paucis*: aeri g: aera γ *corr.* Lφψλlβσ *alii*. 79. si quis g *cum perpaucis*.

Circum doctores aderat. Quid multa? Pudicum,
Qui primus virtutis honos, servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi,
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si praeco parvas aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer: neque ego essem questus; at
[hoc nunc
Laus illi debetur et a me gratia maior.
Nil me paeniteat sanum patris huius, eoque
Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat clarosque parentis,
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox et ratio: nam si natura iuberet
A certis annis aevum remeare peractum
Atque alios legere, ad fastum quoscumque pa-
[rentis
Optaret sibi quisque, meis contentus honestos
Fascibus et sellis nollem mihi sumere, demens
Iudicio vulgi, sanus fortasse tuo, quod
Nollem onus haud umquam solitus portare mole-
[stum.
Nam mihi continuo maior quaerenda foret res
Atque salutandi plures, ducendus et unus
Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve
Exirem, plures calones atque caballi

---

83. servabat φψλl *alii pauci.* 87. Ad hoc *omnes prope codd.*: At hic g: Ob hoc σ^2, *editiones veteres ante Bentleium*: Ad haec *cum nonnullis codd. Bentleius.* 102. peregreve *cum perpaucis codd. Aldus, Bentleius, omnes paene recentiorum editt.*: peregre *admodum pauci, in his l*: peregre aut *omnes fere codd., probante Rittero*,

Pascendi, ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo vel si libet usque Tarentum,
Mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos:
Obiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tilli,
Cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes oenophorumque.
Hoc ego commodius quam tu, praeclare senator,
Milibus atque aliis vivo. Quacumque libido est,
Incedo solus, percontor quanti holus ac far,
Fallacem circum vespertinumque pererro
Saepe forum, adsisto divinis, inde domum me
Ad porri et ciceris refero laganique catinum.
Cena ministratur pueris tribus, et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet, astat echinus
Vilis, cum patera gutus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum, non sollicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.
Ad quartam iaceo; post hanc vagor aut ego lecto
Aut scripto quod me tacitum iuvet, ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum

---

107. Tilli aγφψλL *pr. alii*: Tulli *pauci, ut* RgL *corr. l a. ras.* 111. Milibus *maior pars codd.*: Millibus R *ante ras. cum aliis perpaucis*: multis *coniecit Lambinus*: Mollibus *Praedicowius*: *alii alia commenti sunt.* 112. holus aγglβ *alii*: olus φψλσ *alii.* 118. gutus *maior pars codd.*: guttus βg *Paris.* 7978, *alii pauci.* 123. scribo g *cum aliis perpaucis.* – iuvat *pauci, veluti* gl^2 Paris. 7973, 8213.

Admonuit, fugio campum lusumque trigonem.
Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Haec est
Vita solutorum misera ambitione gravique:
His me consolor victurum suavius, ac si
Quaestor avus pater atque meus patruusque fuisset.

VII

Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor

---

126. Campum lusumque trigonem *suppositis punctis Blandinius vetustiss., teste Cruquio. Hanc lectionem solam sinceram esse iudicavit Bentleius, quem plerique hodie sequuntur. Cum Blandinio autem consentit* g; *sed hic* lusitque *pro* lusumque *habet:* rabiosi tempora signi *exhibent ceteri codd., probantibus Kellero et Heldero. Animadvertendum tamen est pro* rabiosi *in nonnullis codd. esse* rabidosi, *cum alii* rapidosi *praebeant: quae discrimina minimi momenti esse omnibus est perspicuum. In hac vero codicum discrepantia non contemnenda quidem sunt quae ad h. l. scripsit Ritterus, utramque lectionem ab Horatio profectam esse contendens, ita tamen, ut, cum poeta primum* rabiosi tempora signi *scripsisset, postea acri iudicio* campum lusumque trigonem *eum correxisse statuendum esset: sed nescio an ad veritatem propius accedat, si quis vulgatam lectionem* rabiosi tempora signi, *iam ante veteres scholiastas ab ignoto quodam litteratore confictam atque in grammaticorum scholis commendatam, ex corruptis exemplaribus in omnes paene libros irrepsisse affirmet, veraeque lectionis memoriam paulatim adeo oblitteratam esse, ut a Blandinio illo et Gothano secundo tantummodo servaretur. In hanc fere sententiam nonnulla scripsit Mewesius.* 130. victurus g *cum perpaucis.* 131. fuisset *pauci, in his* Rσγ *corr.:* fuissent *maior pars codd.*

Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam litis cum Rege molestas,
Durus homo atque odio qui posset vincere Regem,
Confidens, tumidus, adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.
Ad Regem redeo. Postquam nihil inter utrumque
Convenit (hoc etenim sunt omnes iure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit. Inter
Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors,
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit: duo si discordia vexet inertis,
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedat pigrior, ultro
Muneribus missis), Bruto praetore tenente
Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat, uti non
Compositum melius cum Bitho Bacchius. In ius
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.

I 7. — 7. tumidus aRγg *alii complures, in his Blandinius vetustiss., suffragantibus Holdero, Kellero, Fritzschio, Mewesio, Sabbadinio*: tumidusque φψλlLβσ *alii, probantibus Bentleio, Kirchnero, Rittero, Luc. Muellero, Dillenburgero, Hirschfeldero, aliis.* 11. adversum *codd.*: adversis *ex Campenoni edit. recepit atque unius codicis scriptura confirmavit Kirchnerus.* 15. vexet *omnes prope codd.*: verset *e quibusdam Lambini codd. Bentleius.* 17. pulchrior *pro eo quod est* pigrior Rγφψλ*l*L *alii.* 20. Compositum R (Conp.) aγφψLσ *alii*: Compositus λ (Conp.) *lg, Paris.* 7973, 8218, *alii pauci, quibus obtemperavit Doederlinus*: Compositi *cod. Magdalenensis, adprobante Bentleio.* 21. procurrunt Rφψλ*l* *alii*: concurrunt aγLβσ *alii.*

Persius exponit causam; ridetur ab omni
Conventu; laudat Brutum laudatque cohortem;
Solem Asiae Brutum appellat stellasque salubris
Appellat comites, excepto Rege; Canem illum,
Invisum agricolis sidus, venisse. Ruebat,
Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
Tum Praenestinus salso multoque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia, durus
Vindemiator et invictus, cui saepe viator
Cessisset magna compellans voce cuculum.
At Graecus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat: 'per magnos, Brute, deos te
Oro, qui reges consueris tollere, cur non
Hunc Regem iugulas? Operum hoc, mihi crede,
[tuorum est.'

VIII

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum. Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido: nam fures dextra coercet
Obscenoque ruber porrectus ab inguine palus,
Ast importunas volucres in vertice harundo

---

28. multumque φψλlσ *pr. alii pauci, sed* multoque aRγLβgσ *corr. alii multi, quod quidem omnes prope critici aetatis nostrae praetulerunt.* 30. Vindemator *pauci, in his* aγ. 31. cuculum R^1γ *corr.* λ *pr.* l *corr. alii pauci*: cucullum *maior pars codd.* 34. consuesti *ed. Venet. an.* 1490, *praeterea cod. Galeanus, recepit Bentleius.*

Terret fixa vetatque novis considere in hortis.
Huc prius angustis eiecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca;
Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, heredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum;
Cum mihi non tantum furesque feraeque suetae
Hunc vexare locum curae sunt atque labori,
Quantum carminibus quae versant atque venenis
Humanos animos. Has nullo perdere possum
Nec prohibere modo, simul ac vaga luna decorum
Protulit os, quin ossa legant herbasque nocentis.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis passoque capillo,
Cum Sagana maiore ululantem: pallor utrasque
Fecerat horrendas aspectu. Scalpere terram
Unguibus et pullam divellere mordicus agnam
Coeperunt: cruor in fossam confusus, ut inde

I 8. — 7. fissa *ex coniectura edidit Fea.* — insidere *Paris.* 7973, *alii perpauci.* 9. vilis *aliquot codd.*, *ut* R²φψλlL. 12. Mille in fronte pedes, *repugnantibus codd.*, *exhibent nonnullae editt. veteres.* — cyprus *vel* ciprus *pro eo quod est* cippus *nonnulli, ut* φψλl. 13. sequeretur aR¹γgσ *alii*: sequerentur φψλlLβ *alii.* 15. Qua, *invitis codicibus*, *Bentleius*, *probante Luc. Muellero.* 16. deformem *admodum pauci, in his Paris.* 7973. 18. sunt *omnes prope codd.*: sint σ *cum paucis.* 19. versant *plerique codd.*: vexant *perpauci, in his Paris.* 7973.

Manis elicerent animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea: maior
Lanea, quae poenis compesceret inferiorem:
Cerea suppliciter stabat, servilibus ut quae
Iam peritura modis. Hecaten vocat altera, saevam
Altera Tisiphonen: serpentis atque videres
Infernas errare canes, lunamque rubentem,
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
Mentior at siquid, merdis caput inquiner albis
Corvorum atque in me veniat mictum atque cacatum
Iulius et fragilis Pediatia furque Voranus.
Singula quid memorem, quo pacto alterna loquen-
[tes
Umbrae cum Sagana resonarent triste et acutum,
Utque lupi barbam variae cum dente colubrae
Abdiderint furtim terris, et imagine cerea
Largior arserit ignis, et ut non testis inultus
Horruerim voces Furiarum et facta duarum?
Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi
Diffissa nate ficus: at illae currere in urbem.
Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum
Excidere atque herbas atque incantata lacertis
Vincula cum magno risuque iocoque videres.

---

29. Manibus *aliquot Porphyrionis codd., commendavit Kirchnerus, qui tamen vulgatam lectionem retinuit.* 32. utque *vel* utq; *maior pars codd.: veram lectionem habent* Rβσ *alii pauci.* 38. veniant *ex perpaucis codd. Lambinus, improbante Bentleio, qui veterem lectionem revocavit.* 41. resonarent *omnes, ut videntur, codd. praebent, adprobantibus Kirchnero, Rittero, Holdero, Dillenburgero, Fritzschio, Sabbadinio, aliis:* resonarint *coniecit Bentleius, receperunt et defenderunt Doederlinus, Luc. Muellerus, Kellerus, Hirschfelderus, Mewesius, al.* 48. caliendrum aRγLσ *alii multi:* caliandrum φψλlg *alii.*

VIIII

Ibam forte Via Sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis:
Adcurrit quidam notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu 'quid agis, dulcissime rerum?'
'Suaviter, ut nunc est,' inquam, 'et cupio omnia
[quae vis.'
Cum adsectaretur, 'numquid vis?' occupo. At ille
'Noris nos' inquit, 'docti sumus.' Hic ego 'pluris
Hoc' inquam 'mihi eris.' Misere discedere quae-
[rens,
Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero, cum sudor ad imos
Manaret talos. 'O te, Bolane, cerebri
Felicem' aiebam tacitus, cum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret. Ut illi
Nil respondebam, 'misere cupis' inquit 'abire:
Iamdudum video. Sed nil agis: usque tenebo.
Persequar. Hinc quo nunc iter est tibi?' 'Nil opus
[est te

I 9. — 1. Ibam ut forte *ex coniectura edidit Bentleius.* 8. Occurrit *pauci, in his* gσ *corr.* 10. quid puero. Cum sudor *distinxerunt Bentleius, alii pauci.* 12. agebam *pro* aiebam *nonnulli, veluti* γ *pr.* $\phi\psi\lambda l$ 13. ficos g$\phi\psi\lambda l\beta$ *alii pauci.* 16. Persequar aRγgL$\sigma\beta$ *alii*: Prosequar $\phi\psi\lambda l$, *duo Blandinii, alii, quos secutus est Bentleius. Ceterum* Persequar hinc quo nunc iter est tibi *probavit Holderus in edit. mai., recepta Ritteri, Doederlini, aliorum distinctione: idem* Persequar. hinc quo nunc iter est tibi? *cum Kirchnero, Fritzschio, aliis, distinxit in edit. min., quod commendavit Kellerus.*

Circumagi: quemdam volo visere non tibi notum:
Trans Tiberim longe cubat is prope Caesaris hortos.'
'Nil habeo quod agam, et non sum piger: usque [sequar te.'
Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,
Cum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
'Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies: nam quis me scribere pluris
Aut citius possit versus? quis membra movere
Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto.'
Interpellandi locus hic erat: 'est tibi mater,
Cognati, quis te salvo est opus?' 'Haud mihi quisquam.
Omnis composui.' 'Felices! Nunc ego resto.
Confice; namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna:
Hunc neque dira venena nec hosticus auferet ensis
Nec laterum dolor aut tussis nec tarda podagra;
Garrulus hunc quando consumet cumque: loquaces,
Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas.'
Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei
Praeterita, et casu tum respondere vadato
Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
'Si me amas' inquit, 'paulum hic ades.' 'Inteream, si
Aut valeo stare aut novi civilia iura;

---

30. divina mota *habent omnes codd.*: mota divina *coniecit Cruquius, scripsit et defendit Bentleius.* 36. tum *maior pars codd.*: tunc *cum paucis codd. Bentleius, Kirchnerus, Doederlinus, Luc. Muellerus, alii* — vadato *codd.*: vadatus *ex coniectura Bentleius, exhibet etiam, teste Iaeckio, unus Bambergensis.* 39. Haud... haud φψλlγ *corr. alii pauci.*

Et propero quo scis.' 'Dubius sum quid faciam' inquit,
'Tene relinquam an rem.' 'Me, sodes.' 'Non faciam' ille,
Et praecedere coepit. Ego, ut contendere durum
Cum victore, sequor. 'Maecenas quomodo tecum?'
Hinc repetit; 'paucorum hominum et mentis bene sanae;
Nemo dexterius fortuna est usus. Haberes
Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream, ni
Summosses omnis.' 'Non isto vivimus illic,
Quo tu rere, modo; domus hac nec purior ulla est
Nec magis his aliena malis; nil mi officit', inquam,
'Ditior hic aut est quia doctior: est locus uni
Cuique suus.' 'Magnum narras, vix credibile.' 'Atqui
Sic habet.' 'Accendis, quare cupiam magis illi
Proximus esse.' 'Velis tantummodo: quae tua virtus,
Expugnabis; et est qui vinci possit, eoque
Difficilis aditus primos habet.' 'Haud mihi dero:

---

42. durum est *pauci, ut* βσ *corr., probantibus Doederlino, Fritzschio, Dillenburgero, aliis.* 43. sequar *admodum pauci, veluti* aγ *pr.*: sequor *ceteri.* 44. *Verba* paucorum... sanae *in alterno sermone ab ipso Horatio dicta esse opinati sunt Lambinus et Fritzschius; idem sensit Holderus, si minorem edit. respicimus, contra dicente Kellero.* 48. vivitur *cum paucis codd. Bentleius.* 50. umquam *pro* inquam σ, *Paris.* 7978, *alii perpauci.* 51. haud *pro* aut φψλl. 52. Atque *aliquot codd., in his* Bgφψλl.

Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam; tempora quaeram,
Occurram in triviis, deducam. Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.' Haec dum agit, ecce
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulchre nosset. Consistimus. 'Unde venis?' et
'Quo tendis?' rogat et respondet. Vellere coepi
Et prensare manu lentissima bracchia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsus
Ridens dissimulare: meum iecur urere bilis.
'Certe nescio quid secreto velle loqui te
Aiebas mecum.' 'Memini bene, sed meliore
Tempore dicam: hodie tricesima sabbata: vin tu
Curtis Iudaeis oppedere?' 'Nulla mihi' inquam
'Relligio est.' 'At mi: sum paulo infirmior, unus
Multorum. Ignosces: alias loquar.' Huncine solem
Tam nigrum surrexe mihi! Fugit improbus ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius et 'quo tu turpissime?' magna
Inclamat voce, et 'licet antestari?' Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in ius; clamor utrimque,
Undique concursus. Sic me servavit Apollo.

---

60. agit *omnes prope codd.*: ait *pauci quibus paruit Bothius*. 64. Prensare *maior pars codd. Non spernenda tamen est Kelleri et Haeussneri lectio, qui ex paucis codd. et Porphyrionis scholiis* pressare *receperunt*. 69. vis tu *cum suis codd. Bentleius*. 76. *Cum* Inclamat *in plerisque codd. esset, id recte restituit Bentleius*: Exclamat *pauci codd. praebent, in his* β. 77. Appono *admodum pauci apud Feam*.

X

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone
Defensore tuo pervincam, qui male factos
Emendare parat versus, hoc lenius ille,
Quo melior vir est, longe subtilior illo,
Qui multum puer et loris et funibus udis
Exoratus, ut esset opem qui ferre poetis
Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc:

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? At idem, quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.

I 10. — *Versus* 1-8, *quos Porphyrion et Pseudo-Acron silentio praetereunt et multi codd. omittunt, in his* aRγgLσ, *ab Horatii ingenio prorsus abhorrere, omnes, prope dixi, consentiunt. Quapropter eos separatim italicisque litterarum formis descripsi. De hac autem re legenda sunt quae animadverterunt Holderus in edit. mai.*, *p.* 83 *seq.*; *Kirchnerus*, I, *p.* 142 *seq.*; *praeterea Kellerus in Epil.*, *p.* 504 *sqq.* 4. Quo melior vir est φψλlβ *alii*: Quo melior vir et est *nonnulli codd. apud Kirchnerum aliosque, probante Luc. Muellero*: *alii alia praebent.* 5, 6. Qui multum puer et loris *codd.*: puerum est loris *coniecit Beisigius*: puerum et loris.... Exhortatus *edidit Luc. Muellerus*; Exhortatus *enim vel* Exortatus *nonnulli codd. habent, veluti Petropolitanus, Paris.* 8213: *plerique vero* Exoratus *exhibent. Adde multorum coniecturas quas neglegendas esse existimo.*

2. inepti *pauci, in his* RL*pr.*β.

Nec tamen, hoc tribuens, dederim quoque cetera: [nam sic
Et Laberi mimos, ut pulchra poemata, mirer.
Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris (et est quaedam tamen hic quoque virtus):
Est brevitate opus, ut currat sententia neu se
Impediat verbis lassas onerantibus auris,
Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,
Defendente vicem modo rhetoris atque poetae,
Interdum urbani, parcentis viribus atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res.
Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi; quos neque pulcher
Hermogenes umquam legit, neque simius iste
Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.
'At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miscuit.' O seri studiorum, quine putetis
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? 'At sermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.'
Cum versus facias, te ipsum percontor, an et cum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?

---

5. nam *admodum pauci, velut* R: num *omnes prope codd.* 7. deducere φψλlβ *alii pauci.* 18. urbani *plerique codd.*: urbane φψll *alii pauci, probante Luc. Muellero.* 21. putatis g *corr.*, *Parisini* 7978, 8218 *alii perpauci, quos potiores habuit Doederlinus.* 24. commissa *habent perpauci, ut* R^1g. 26. Petelli aRγβ *alii pauci.*

Scilicet oblitus patriaeque patrisque Latini,
Cum Pedius causas exsudet Poplicola atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis!
Atque ego cum Graecos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, cum somnia vera:
'In silvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Graecorum malis implere catervas.'
Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque
Defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,
Quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
Arguta meretrice potes Davoque Chremeta
Eludente senem comis garrire libellos
Unus vivorum, Fundani; Pollio regum
Facta canit pede ter percusso; forte epos acer,
Ut nemo, Varius ducit; molle atque facetum

---

27. oblitus *omnes ad unum codd.*: oblitos *ex Bentleii coniectura ediderunt Luc. Muellerus et Holderus in edit. min.* – patrisque, Latine, *nonnullis suffragantibus codd., complures ediderunt ante Bentleium, qui lectionem* Latini, *a plerisque codd.* (*in his* aγLσg *cum omnibus Blandiniis*) *oblatam multisque doctis viris probatam, restituit et defendit.* 28. Puplicola L̊: Poblicola R: Publicola *omnes fere codd.*: Poplicola, *quod probaverunt Bentleius, Kirchnerus, Doederlinus, alii multi, primus edidit Muretus, adversantibus codd.* 31. Atque *maior pars codd.*: Atqui *cum paucis codd. Bentleius.* 32. tali me *cod. Coll. Trin., probante Bentleio.* 37. Defingit *pauci, ut* aγσβ, *quamquam hic* deffingit *exhibet*: diffingit φψλlLg *alii.* 39. spectata R¹φψλlL *alii.* 43. fata *perpauci cum* g. 44. dicit *pauci, veluti* g.

Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae.
Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inventore minor; neque ego illi detrahere ausim
Haerentem capiti cum multa laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet versus Enni gravitate minores,
Cum de se loquitur non ut maiore reprensis?
Quid vetat et nosmet Lucili scripta legentis
Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntis
Mollius ac siquis pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem cenatus? Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus, fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
Quamque poetarum seniorum turba; sed ille,

---

45. Vergilio R[1]L *pr.*, *Reginensis.* — aduuerunt *vel* annuerunt *pauci*, *velut* Rg: adnuerant *vel* annuerant aγLσ *alii*: adnuerint *vel* annuerint φψλ/β, *Parisini* 7978, 8213, *alii.* 47. possim Rφψλl *alii pauci.* 59. ac *omnes paene codd.*: et aγ: at *perpauci codd.* *et editi*: an *coniecit Dacerius*: at sit quis *Lambinus.*

Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum,
Detereret sibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet unguis.
Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint
Scripturus, neque te ut miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego: nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax,
Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men moveat cimex Pantilius, aut cruciet quod
Vellicet absentem Demetrius, aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?
Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque,
Valgius et probet haec Octavius optimus atque
Fuscus et haec utinam Viscorum laudet uterque!
Ambitione relegata te dicere possum,
Pollio, te, Messalla, tuo cum fratre simulque
Vos, Bibule et Servi, simul his te, candide Furni,
Compluris alios, doctos ego quos et amicos
Prudens praetereo, quibus haec, sint qualiacumque,

---

68. dilatus Lgσβ *pr., unus Blandinius, probante Bentleio, quem cum plerisque sequor*: dilapsus *maior pars codd., Holderus in edit. mai.*: delapsus *cum tribus Blandiniis Holderus in edit. min., prob. Kellero.* 75. Milibus ψλl *alii perpauci.* 81. Vergilius R1, *opp. ceteris.* 86. Bibuli *codd.*: Bibule *emendavit Muretus, probantibus Nic. Heinsio, Bentleio, Kirchnero, omnibus prope recentioribus.* 88. sunt *pauci, in his* σgβ : sint *ceteri.*

Adridere velim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter iubeo plorare cathedras.
I, puer, atque meo citus haec subscribe libello.

Q. HORATI FLACCI

SERMONVM

LIBER SECVNDVS

I

'Sunt quibus in satira videar nimis acer et ultra
Legem tendere opus; sine nervis altera quicquid
Composui, pars esse putat similisque meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati,
Quid faciam, praescribe.' 'Quiescas.' 'Ne faciam, [inquis,
Omnino versus?' 'Aio.' 'Peream male, si non
Optimum erat; verum nequeo dormire.' 'Ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Inriguumque mero sub noctem corpus habento.
Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum

II 1. — 1. satira *nonnulli codd., in his* γφ *Parisinus* 7973: satyra *maior pars codd.* — videor *pauci, ut* φψ, *probantibus Kirchnero, Doederlino, Dillenburgero, Luc. Muellero, Hirschfeldero, aliis.* 4. diduci φψλl *alii pauci.* 10. capit *cod. Colbertinus, adprobante Bentleio:* rapit *omnes prope codd.*

Praemia laturus.' 'Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: nequê enim quivis horrentia pilis
Agmina nec fracta pereuntis cuspide Gallos
Aut labentis equo describat vulnera Parthi.'
'Attamen et iustum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius.' 'Haud mihi dero,
Cum res ipsa feret: nixi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem,
Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.'
'Quanto rectius hoc, quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem,
Cum sibi quisque timet, quamquam est intactus,
[et odit!'
'Quid faciam? Saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti numerusque lucernis;
Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum
Milia: me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris, neque si male cesserat, usquam

15. describat aγβ *corr. alii pauci*: describit Rφψλlσ L *alii, quos secuti sunt Bentleius, Ritterus, Luc. Muellerus, Sabbadinius, Mewesius*: describet g *cum aliis perpaucis*. 18. Dum *pro eo quod est* Cum *pauci, veluti* ψλlβ *corr.* 20. recalcitrat *omnes fere codd.*: recalcitret *cum cod. Batteliano Bentleius, cui suffragatus est Kirchnerus.* 22. Nomentanumque *plerique codd.*: Nomentanumve φψλl *alii pauci, probante Bentleio.* 28. Quem sibi, *adversantibus codd., Doederlinus.* 81. cesserat *admodum pauci, in his Paris.* 7978 *a. pr. manu et* β *pr.*: gesserat *ceteri.* – usquam *maior pars codd.*: umquam σ^1β*pr.*L *alii pauci.*

Decurrens alio, neque si bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis. Sequor hunc, Lucanus an Apulus, anceps:
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
Missus ad hoc pulsis, vetus est ut fama, Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis,
Sive quod Apula gens seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic stilus haud petet ultro
Quemquam animantem et me veluti custodiet ensis
Vagina tectus: quem cur destringere coner
Tutus ab infestis latronibus? O pater et rex
Iuppiter, ut pereat positum robigine telum,
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! At ille,
Qui me commorit (melius non tangere, clamo),
Flebit et insignis tota cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minitatur et urnam,
Canidia Albuci, quibus est inimica, venenum,
Grande malum Turius, siquid se iudice certes;
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque
Imperet hoc natura potens, sic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit: unde, nisi intus
Monstratum? Scaevae vivacem crede nepoti

---

37. Quo ne *omnes paene codd.*: Qua ne *pauci apud Lambinum, improbante Bentleio*: Ne quo, *invitis codd., Doederlinus.* 41. distringere *nonnulli, veluti* φψλl. 45. commordit *ex coniectura Rutgersius; praeterea a prima manu codex Regius apud Bentleium, qui vulgatam lectionem defendit.* 47. Cervius *uno fere consensu codd.*: Servius *cum perpaucis codd. Lambinus.* 49. Turias φψl *alii pauci,* – quid... certes aγβσ *alii*: quis... certet *maior pars codd.*

Matrem: nil faciet sceleris pia dextera (mirum,
Ut neque calce lupus quemquam neque dente petit bos);
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
Exspectat seu mors atris circumvolat alis,
Dives, inops, Romae, seu fors ita iusserit exsul,
Quisquis erit vitae scribam color.' 'O puer, ut sis
Vitalis metuo, et maiorum nequis amicus
Frigore te feriat.' 'Quid, cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis: num Laelius et qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen
Ingenio offensi aut laeso doluere Metello
Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui
Primores populi arripuit populumque tributim,

54, 55. mirum Ut *codd.*: mirum Ni *Horatium scripsisse suspicatus est Bentleius, qui tamen etiam* mirum, Si *legi posse iudicavit*: nimirum Ut *emendavit Meinekius, recepit Doederleinus: alii alia coniecerunt.* – petat φψglσ *corr. alii.* 56. male *perpauci cum* γ*pr.*β. 59. luserit *cum paucis deterioris notae codd. Fea et Meinekius, quos refellit Dillenburgerus.* 65. introrsum *omnes prope codd.*: introrsus *perpauci, in his* g. – et qui g, *Parisini* 7978, 8213, *alii pauci quos potiores habuerunt Bentleius, Kirchnerus, Luc. Muellerus, Kellerus, alii multi*: aut qui *e plerisque codd. receperunt Ritterus, Dillenburgerus, Holderus, Sabbadinius, Mewesius.* 68. coperto *ex codice Argentoratensi D receperunt Holderus et Kellerus.* – Atqui *plerique codd.*: Et qui φψl *a. ras.* L *pr. alii pauci*: atque g. 69. tributum g *cum aliis paucis; edidit et defendit Lambinus.*

Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.
Quin ubi se a vulgo et scaena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli,
Nugari cum illo et discincti ludere, donec
Decoqueretur holus, soliti. Quicquid sum ego, [quamvis
Infra Lucili censum ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia, et fragili quaerens inlidere dentem,
Offendet solido, nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis.' 'Equidem nihil hinc diffingere possum;
Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
Iudiciumque.' 'Esto, siquis mala; sed bona siquis
Iudice condiderit laudatus Caesare? siquis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse?'
'Solventur risu tabulae, tu missus abibis.'

---

79. diffindere *Blandin. vetustiss. cum aliis paucis, probaverunt Kirchnerus, Ritterus, Doederlinus, alii multi; ediderat etiam Holderus, sed vide Kelleri Epil., p.* 518 *sq.*: diffingere *habent* aγLβ, *tres Blandinii, alii, receperunt Bentleius, Luc. Muellerus, Hirschfelderus, Kellerus cum Hausseneró*: deffingere g: difingere σ. 84. laudatur Lλl²βσ *alii, editt. ante Bentleium, qui veram lectionem restituit, multis suffragantibus codd.* 85. laceraverit *cum aliquot Lambini codd. Bentleius, cui obsecutus est Kirchnerus.* 86. *pro* risu, *quod omnes codd. praebent,* bis sex (BISVI) *coniecit Th. Bergkius.*

II

Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo
(Nec meus hic sermo est, sed quae praecepit Ofellus
Rusticus, abnormis sapiens crassaque Minerva),
Discite non inter lances mensasque nitentis,
Cum stupet insanis acies fulgoribus et cum
Adclinis falsis animus meliora recusat,
Verum hic impransi mecum disquirite. 'Cur hoc?'
Dicam, si potero. Male verum examinat omnis
Corruptus iudex. Leporem sectatus equove
Lassus ab indomito vel, si Romana fatigat
Militia adsuetum graecari, seu pila velox
Molliter austerum studio fallente laborem,
Seu te discus agit, pete cedentem aera disco;
Cum labor extuderit fastidia, siccus, inanis
Sperne cibum vilem; nisi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta. Foris est promus, et atrum
Defendens piscis hiemat mare: cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Unde putas aut
Qui partum? Non in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quaere

II 2. — 1. boni *omnes paene codd.*: bonis *l. a. ras. et nonnulli deteriores apud Feam aliosque.* 2. quem *pro* quae *pauci, in his* l^2. — Ofella σ^2, *sicque legendum esse censuit Bentleius, qui tamen, cum codicis scripti auctoritate careret, nihil mutavit.* 3. abnormis φψlgγ *corr. alii*: abnormi aγ*pr.*Lλβσ *alii, quibus hic primas dederunt Ritterus et Mewesius.* 13. aget *perpauci cum* g. 14. extuderit *maior pars codd.*: extulerit λ *Paris.* 7973, 8213 *alii pauci*: expulerit *ex coniectura edidit Bentleius.*

Sudando: pinguem vitiis albumque neque ostrea
Nec scarus aut poterit peregrina iuvare lagois.
Vix tamen eripiam, posito pavone velis quin
Hoc potius quam gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum, quia veneat auro
Rara avis et picta pandat spectacula cauda:
Tamquam ad rem attineat quicquam. Num vesceris ista,
Quam laudas, pluma? cocto num adest honor idem?
Carne tamen quamvis distat nil, hac magis illam
Imparibus formis deceptum te petere! Esto:
Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto
Captus hiet? pontisne inter iactatus an amnis
Ostia sub Tusci? Laudas, insane, trilibrem
Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.
Ducit te species, video. Quo pertinet ergo
Proceros odisse lupos? Quia scilicet illis
Maiorem natura modum dedit, his breve pondus.

---

21. nec Lg *alii pauci, quos, adversante Bentleio, pluris fecerunt Fritzschius, Luc. Muellerus, Sabbadinius.* 28. honor *omnes fere codd.*: color *perpauci, in his* g *et unus Blandinius.* 29. hac *plerique codd.*: haec *Parisini* 7978, 8213; *praeterea* g, *qui* hec *habet.* – illa *cum plerisque codd. praetulerunt Bentleius, Kirchnerus, Ritterus, Doederlinus, Mewesius, alii*: illam *ex paucis codd., in his* σgβ, *receperunt Fritzschius, Holderus, Kellerus, Luc. Muellerus, quos hic sequor. Coniecturas autem doctorum hominum referre, qui hunc versum sanandum esse perperam, nisi fallor, censuerunt, res prope infiniti operis est.* 30. te patet φψλlLβ *pr.* σ *corr., Parisini* 7978, 8213, *alii, recepit Bentleius, probantibus Rittero, Kirchnero, quibus plerique recentiores assentiuntur: mihi vero magis arridet quod ex multis codd. protulerunt Holderus, Kellerus, Luc. Muellerus, hoc est* te petere. 35. Quo aγgLσ *alii*: quid *non pauci, veluti* φψλlβ.

Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.
'Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem' ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos,
Praesentes Austri, coquite horum obsonia. Quamquam
Putet aper rhombusque recens, mala copia quando
Aegrum sollicitat stomachum, cum rapula plenus
Atque acidas mavult inulas. Necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis
Nigrisque est oleis hodie locus. Haud ita pridem
Galloni praeconis erat acipensere mensa
Infamis. Quid? tunc rhombos minus aequor alebat?
Tutus erat rhombus tutoque ciconia nido,
Donec vos auctor docuit praetorius. Ergo
Siquis nunc mergos suavis edixerit assos,
Parebit pravi docilis Romana iuventus.
Sordidus a tenui victu distabit, Ofello
Iudice: nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorseris. Avidienus,
Cui Canis ex vero ductum cognomen adhaeret,

---

38. raro *maior pare codd., in his omnes Blandinii*: raris *nonnulli, ut* φψl[1]: rari *perpauci*: rare *in quibusdam libris fuit, improbante Acrone.* 41. quamvis φψλl *cum paucis.* 42. mala *plerique codd.*: male L *alii non multi.* 44. mavolt *nonnulli, velut* φψλl. 48. tum *aliquot codd., in his* φψλlLg. — aequora alebant *cum uno Blandinio et paucis aliis Bentleius, Kirchnerus, Doederlinus, Fritzschius, Luc. Muellerus, Hirschfelderus, alii*: aequor alebat aγgσφψλlβ, *Parisini* 7973, 8213, *alii, adprobantibus Rittero, Dillenburgero, Holdero, Kellero, Mewesio.* 53. ac *pro* a φψl *a.ras. alii pauci.* — Ofello. *Cfr. v.* 2. 55. pravus *ex uno Bersmanni cod. recepit et defendit Bentleius*: pravos *edidit Fritzschius, adversantibus codd.* 56. dictum *maior pars codd., suffragantibus Doederlino, Holdero, Kellero, Fritzschio cum editionibus veteribus*: ductum *perpauci, in his* L *et Blandinius vetustiss., restituit Bentleius.*

Quinquennis oleas est et silvestria corna,
Ac nisi mutatum parcit defundere vinum, et
Cuius odorem olei nequeas perferre, licebit
Ille repotia, natalis aliosve dierum
Festos albatus celebret, cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur, et horum
Utrum imitabitur? Hac urget lupus, hac canis, aiunt.
Mundus erit, qua non offendat sordibus, atque
In neutram partem cultus miser. Hic neque servis,
Albuci senis exemplo, dum munia didit,
Saevus erit, nec sic ut simplex Naevius unctam
Convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque [magnum.
Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum
Adferat. In primis valeas bene: nam variae res
Ut noceant homini, credas, memor illius escae,
Quae simplex olim tibi sederit; at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Cena desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una
Atque adfigit humo divinae particulam aurae.

---

58. diffundere σβ *alii pauci, veluti Paris.* 7978, 8218. 64. angit *pro eo quod est* aiunt *nonnulli codd., in his Paris.* 7978: aiunt *maior pars codd. cum omnibus Blandiniis.* 65. qua aγ, *Blandinii, alii pauci*: qui *plerique, probantibus Kirchnero et Doederlino; reiecit Bentleius.* – offendit *vel* offendet *admodum pauci.* – sordidus *pauci, in his duo Blandinii.* 73. ac g *cum aliis paucis.* 79. affixit *unus, quod sciam, Paris.* 7978: adfligit *e quibusdam Lambini codd. recepit et commendavit Bentleius.*

Alter, ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam,
Sive diem festum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus, ubique
Accedent anni, tractari mollius aetas
Imbecilla volet: tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer et validus praesumis, mollitiem, seu
Dura valetudo inciderit seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat, sed credo hac mente, quod hospes
Tardius adveniens vitiatum commodius quam
Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam
Heroas natum tellus me prima tulisset! [inter
Dás aliquid famae, quae carmine gratior aurem
Occupet humanam? Grandes rhombi patinaeque
Grande ferunt una cum damno dedecus. Adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum
Et frustra mortis cupidum, cum derit egenti
As, laquei pretium. 'Iure' inquit 'Trausius istis
Iurgatur verbis: ego vectigalia magna
Divitiasque habeo tribus amplas regibus.' Ergo,

---

83. adduxerit σ^2 *cum paucis.* 84, 85. ubive *legendum esse suspicatus est Bentleius, qui* Accedent anni, et tractari *ex cod. Reginensi recepit, utrumque probante Luc. Muellero*: ubi quoi *coniecit et edidit Sabbadinius.* 91. vitiatum *plerique codd.*: vitiaret a$\gamma\sigma$, *unus Blandinius, alii pauci.* 95. Oecupet a$\gamma\sigma$ *pr., Bland. vetustiss., alii pauci, adprobante Holdero*: Occupat gσ *corr.* βL*pr.*$\phi\psi$ *alii, quos cum Kirchnero, Rittero, Doederlino, aliis secutus est Kellerus.* 99. As *omnes fere codd.*: Aes *pauci cum* $\phi\psi$L *correctis.* — inquis *pauci codd. et editt.* — Trausius *cum bonis codd. Bentleius*: Transius Trauius Traulius Tranlius *exhibent alii.*

Quod superat, non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam te divite? Quare
Templa ruunt antiqua deum? Cur, improbe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?
Uni nimirum recte tibi semper erunt res.
O magnus posthac inimicis risus! Uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui
Pluribus adsuerit mentem corpusque superbum,
An qui contentus parvo metuensque futuri
In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?
Quo magis his credas, puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius usum,
Quam nunc accisis. Videas metato in agello
Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum,
'Non ego' narrantem 'temere edi luce profesta
Quicquam praeter holus fumosae cum pede pernae.
Ac mihi seu longum post tempus venerat hospes
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat non piscibus urbe petitis,
Sed pullo atque haedo; tunc pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.
Post hoc ludus erat culpa potare magistra,
Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractae seria frontis.

---

102. insumere *omnes paene codd.*: sumere L *pr.*: vincere *Paris.* 7973. 106. tibi recte *admodum pauci, probante Bentleio, qui praeterea, Nic. Heinsii coniecturam amplexus, pro* erunt *edidit* eunt. 112. puerum *habent multi, ut* aγLφψl *a. ras.* 113. lautius *ex coniectura Henr. Stephanus*: laetius *coniecit Nic. Heinsius.* 118. At *pro* Ac *perpauci, in his* ψ *corr.* 121. tum *aliquot codd., ut* φψλlLgβ. 122. fico gσ *alii pauci.* 123. culpa *codd.*: cuppa *coniecit Lambinus*: cupa *edidit Bentleius.*

Saeviat atque novos moveat fortuna tumultus:
Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius aut
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit? [vos,
Nam propriae telluris erum natura neque illum
Nec me nec quemquam statuit: nos expulit ille;
Illum aut nequities aut vafri inscitia iuris,
Postremum expellet certe vivacior heres.
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius, sed cedet in usum
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.'

III

'Si raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quaeque retexens,
Iratus tibi, quod vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas, quid fiet? At ipsis

---

127. quanto aγ *cum paucis.* 128. instituistis φψλlL *alii*: vixistis *Parisini* 7978, 8213. 132. Postremo σg *alii pauci, improbante Bentleio.* 134. Dictus, erit nulli *omnes prope codd.*: Dictus erat: nulli *cum nonnullis codd. Bentleius, qui praeterea paucorum codd. auctoritati nimium tribuens* cedit *pro* cedet *posuit.* 135. aliis λ *cum perpaucis.*

II 3. — 1. Si βg, *tres Blandinii, alii, probante Bentleio, qui ex nonnullis codd.* scribes *recepit; utramque autem lectionem amplexi sunt Doederlinus, Fritzschius, Holderus in edit. min., Hirschfelderus, alii*: sic... scribis, *plerisque codd. obsecuti, ediderunt Kirchnerus, Ritterus, Dillenburgerus, praetulerat Holderus in edit. mai., probante Kellero*: Si... scribis *maluit Luc. Muellerus, Sabbadinius, Mewesius*; scribis *enim multi codd. habent, in his* φψλlLβσ, *tres Blandinii.* 4. At φψl¹gL *alii, quos secuti sunt Bentleius, Kirchnerus, Ritterus, Mewesius, alii multi*: Ab *cum* aγλβσψ² *aliis paucis Holderus, Fritzschius, Kellerus.*

Saturnalibus huc fugisti. Sobrius ergo
Dic aliquid dignum promissis. Incipe. Nil est.
Culpantur frustra calami, immeritusque laborat
Iratis natus paries dis atque poetis.
Atqui vultus erat multa et praeclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto.
Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere, miser! Vitanda est improba Siren
Desidia, aut quicquid vita meliore parasti,
Ponendum aequo animo.' 'Di te, Damasippe, deaeque
Verum ob consilium donent tonsore. Sed unde
Tam bene me nosti?' 'Postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo
Excussus propriis. Olim nam quaerere amabam,
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere,
Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset.
Callidus huic signo ponebam milia centum;
Hortos egregiasque domos mercarier unus

---

5. huc fugisti sobrius. Ergo *distinguendum esse iudicavit Bentleius, quod quidem plerisque editoribus placuit.* 9. vultus *omnes codd.* 10. lecto *coniecit Bentleius, nihil tamen mutavit.* 12. Eupolim *aliquot codd., in his* γφLβ, *praetulit et defendit Fritzschius.* — Archilochum *omnes prope codd.*: Archilocho ? *apposita interrogationis nota, e cod. Reginensi, etsi a manu secunda, recepit Bentleius; huic vero lectioni alii quoque codd. suffragantur.* — tantos *codd.*: quid, tu *coniecit Rutgersius, non improbante Bentleio.* 13. putas *pro eo quod est* paras *duo codd. apud Kirchnerum, quod quidem Peerlkampo arrisit.* 21. vafer *maior pars codd.*: faber *nonnulli, in his* φψλlβ. 22. scalptum φψlLg *alii pauci.*

Cum lucro noram: unde frequentia Mercuriale
Imposuere mihi cognomen compita.' 'Novi,
Et miror morbi purgatum te illius.' 'Atqui
Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor
Traiecto lateris miseri capitisve dolore,
Ut lethargicus hic cum fit pugil et medicum urget.'
'Dum nequid simile huic, esto ut libet.' 'O bone, ne te
Frustrere: insanis et tu stultique prope omnes,
Siquid Stertinius veri crepat, unde ego mira
Descripsi docilis praecepta haec, tempore quo me
Solatus iussit sapientem pascere barbam
Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam male re gesta cum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit et „ cave faxis
Te quicquam indignum. Pudor „ inquit „ te malus [angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primum nam inquiram, quid sit furere: hoc si erit
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam. [in te
Quem mala stultitia et quemcumque inscitia veri
Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Haec populos, haec magnos formula [reges,

---

29. capitisve *pauci, ut* gσ: capitisque *ceteri*. 30. Ut lethargicus hic, cum *omnes ad unum codd.*: Ut lethargicus, hinc cum *emendavit et distinxit Doederlinus*. 33. veri *plerique codd.*: verum φψλlLβ *alii*. 39. angit γσg, *Blandinii, Monacensis* 14685 (*pars recentior*), *alii pauci*: urget φψλlLβ *alii, omnes, praeter Princ., editt. ante Bentleium qui veram lectionem, a Nic. Heinsio comprobatam, restituit*. 43. stultitia et *codd.*: stultities *ex Meinekii coniectura recepit Dillenburgerus, improbavit Fritzschius*: et *omiserunt duo codd. apud Kirchnerum*.

Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes aeque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut silvis, ubi passim
Palantis error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, unus utrique
Error, sed variis inludit partibus: hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiae nihilum metuenda timentis, ut ignis,
Ut rupes fluviosque in campo obstare queratur.
Alterum et huic varum et nihilo sapientius ignis
Per medios fluviosque ruentis: clamet amica
Mater, honesta soror, cum cognatis pater, uxor:
'Hic fossa est ingens, hic rupes maxima: serva!'
Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis
'Mater, te appello' clamantibus. Huic ego vulgus
Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit veteres statuas Damasippus emendo:
Integer est mentis Damasippi creditor? Esto.
'Accipe quod numquam reddas mihi' si tibi dicam,

---

50. utrisque *pauci codd., veluti* γσβ*corr., Monac.* 14685 (*pars rec.*). 53. trahat *omnes paene codd.*: trahit *admodum pauci, in his* γ. 57, 58. amica, Mater, honesta soror *distinxerunt Fritzschius, Dillenburgerus, Holderus, alii*: amica, Mater honesta, soror *Doederlinus et Sabbadinius*: amica Mater, honesta soror *Bentleius, Kirchnerus, Ritterus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus, Mewesius, alii.* 60. Fufius aγφψ*l a. ras.* σ *alii*: Fusius β*l p. ras., alii pauci*: fus' *habent perpauci, ut* λg. 62. vulgus g *cum paucis*: vulgum *plerique codd.* (volgum λ), *quod cum in multis libris editis scriptum esset, refutavit et reiecit Bentleius.* 63. cuncta *perpauci, in his* φ *pr.*

Tune insanus eris, si acceperis? an magis excors
Reiecta praeda, quam praesens Mercurius fert?
Scribe decem a Nerio: non est satis; adde Cicutae
Nodosi tabulas centum, mille adde catenas:
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.
Cum rapies in ius malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum et, cum volet, arbor.
Si male rem gerere insani est, contra bene sani:
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perelli
Dictantis, quod tu numquam rescribere possis.
Audire atque togam iubeo componere, quisquis
Ambitione mala aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria tristive superstitione
Aut alio mentis morbo calet; huc propius me,
Dum doceo insanire omnis, vos ordine adite.
Danda est ellebori multo pars maxima avaris;
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Heredes Staberi summam incidere sepulcro,
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria atque epulum arbitrio Arri,
Frumenti quantum metit Africa. 'Sive ego prave

---

69. a Nerio *maior pars codd.*: Nerio gσ *corr. alii pauci.* 72. iura *exhibent aliquot codd., in his* aγφψλlβσ, *praeterea omnes, ut videntur, ante Lambinum editi.*; *sed* ius *praetulerunt qui* malis *producta prima syllaba dicendum esse animadverterunt.* 74. sani *omnes fere codd.*: sani est *ex duobus suis recepit Bentleius.* 75. Perelli *maior pars codd.*: Perilli a *cum paucis, quos secuti sunt Bentleius, Kirchnerus, Luc. Muellerus, Sabbadinius, alii.* 86. Arri, et, *repugnantibus codd., Bentleius.* 87, 88. Sive ego prave, Seu recte; hoc volui *distinguendum esse censuit Bentleius, quod perpauci probaverunt.*

Seu recte hoc volui, ne sis patruus mihi.' Credo,
Hoc Staberi prudentem animum vidisse. 'Quid ergo
Sensit, cum summam patrimoni insculpere saxo
Heredes voluit?' Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium et cavit nihil acrius, ut, si
Forte minus locuples uno quadrante periret,
Ipse videretur sibi nequior: omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus. 'Sapiensne?' Etiam, et rex
Et quicquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnae laudi fore. Quid simile isti
Graecus Aristippus, qui servos proicere aurum
In media iussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes? Uter est insanior horum?
Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Siquis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec studio citharae nec Musae deditus ulli,
Si scalpra et formas non sutor, nautica vela
Aversus mercaturis, delirus et amens
Undique dicatur merito. Qui discrepat istis,

---

93. periret *plerique codd., in his* aγLσg; perisset φψλlβ, *tres Blandinii, alii, probavit Bentleius, receperunt Kirchnerus, Ritterus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus, Mewesius, alii, adversantibus Kellero et Holdero.* 96. construxerit γgσL, *unus Blandinius, alii*: contraxerit *complures, veluti* φψλlβ, *recepit et defendit Dillenburgerus.* 97. que *pro* ne *admodum pauci, in his Mon.* 14685 (*pars rec.*): *particulam omiserunt* ψ *corr.* λgσ *corr.* β *p. ras. alii.* 108. Qui *maior pars codd.*: Quid g *cum paucis.* — istis *plerique codd.*: iste φψλlβ, *duo Blandinii, alii pauci.*

Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis metuensque velut contingere sacrum?
Siquis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris;
Si positis intus Chii veterisque Falerni
Mille cadis, nihil est, ter centum milibus, acre
Potet acetum; age, si et stramentis incubet unde-
octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca:
Nimirum insanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
Filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres,
Dis inimice senex, custodis? Ne tibi desit?
Quantulum enim summae curtabit quisque dierum,
Ungere si caules oleo meliore caputque
Coeperis impexa foedum porrigine? Quare,
Si quidvis satis est, periuras, surripis, aufers
Undique? Tun sanus? Populum si caedere saxis

---

112. Proiectus *coniecit Bentleius; eius coniecturam firmat codex Montepessulanus*: Proiecto *maluit Peerlkampus.* 113. contingere *codd.*: confringere *ex coniectura Meinekius*: consumere *Peerlkampus; nec defuerunt qui* contundere *fabricarent.* 114. vescatur *maior pars codd.*: vexatur *a cum perpaucis*: pascatur *pauci cum* σ. 117. unde *omnes codd.*: udis *scribendum esse censuit Horkelius, cui obsecutus est Lehrsius*: ulvae *coniecit Meinekius, recepit Luc. Muellerus*: ultra *maluit Peerlkampus.* 119. putrescat *codd.*: putescat *Cruquius, probavit Fritzschius.* 123. Tun sanus aγLgψ *p. ras. alii*: tum sanus βσ: tu insanus *nonnulli, ut* φψ *a. ras.* λl.

Incipias servosve tuos, quos aere pararis
Insanum te omnes pueri clamentque puellae;
Cum laqueo uxorem interimis matremque veneno,
Incolumi capite es? Quid enim? Neque tu hoc [facis Argis,
Nec ferro ut demens genetricem occidis Orestes.
An tu reris eum occisa insanisse parente,
Ac non ante malis dementem actum Furiis quam
In matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin, ex quo est habitus male tutae mentis Orestes,
Nil sane fecit quod tu reprehendere possis:
Non Pyladen ferro violare aususve sororem
Electran, tantum maledicit utrique vocando
Hanc Furiam, hunc aliud, iussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus, ut heres
Iam circum loculos et clavis laetus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni iubet atque
Effundi saccos nummorum, accedere pluris

---

129. ve *omnes prope codd.*: que *perpauci non bonae notae.* — tuos *omnes fere codd*: tuo, *quod ex coniectura a Tanaquillo Fabro prolatum commendavit et recepit Bentleius, habent admodum pauci, in his g.* 132. Quid ni? *ex perpaucis codd. Bentleius, qui ex Lambini coniectura* Neque enim *pro eo quod est* Neque tu *reposuit.* 133. occidis *plerique codd.*: occidit lLσ *corr., alii pauci.* 137. tutae *codd.*: motae *coniecit Nic. Heinsius, improbante Bentleio.* 139. sororem est *ex paucis codd. Bentleius, assentiente Kirchnero.*

Ad numerandum: hominem sic erigit; addit et illud:
'Ni tua custodis, avidus iam haec auferet heres.'
'Men vivo?' 'Ut vivas igitur, vigila. Hoc age.' 'Quid vis?'
'Deficient inopem venae te, ni cibus atque
Ingens accedit stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? Agedum, sume hoc tisanarium oryzae.'
'Quanti emptae?' 'Parvo.' 'Quanti ergo?' 'Octussibus.' 'Eheu!
Quid refert, morbo an furtis pereamque rapinis?'
'Quisnam igitur sanus?' Qui non stultus. 'Quid avarus?'
Stultus et insanus. 'Quid, siquis non sit avarus?
Continuo sanus?' Minime. 'Cur, Stoice?' Dicam.
'Non est cardiacus' (Craterum dixisse putato)
'Hic aeger.' Recte est igitur, surgetque? Negabit,
Quod latus aut renes morbo temptentur acuto.
Non est periurus neque sordidus: immolet aequis

---

151. iam haec *codd.*: iam iam *ex coniectura emendavit Nic. Heinsius, non improbante Bentleio.* 152. vigil hoc age! *invitis codd., Doederlinus.* 154. Ingens *codd.*: Praesens *coniecit Bentleius*: Ingesta *Marklandus*: Instans *Cuningamus et Sanadonus*: Id genus *Horkelius*: *alii alia commenti sunt.* — accedat λσψ *corr. cum paucis.* 155. tisanarium *maior pars codd.*: ptisanarium *perpauci.* 157. pereamve *cum suis codd. Bentleius, oppositis ceteris, quorum nonnulli* pereamne *praebent.* 163. aut *omnes paene codd.*: et g *cum perpaucis.* — temptantur *vel* tentantur *aliquot codd., quos secuti sunt Bentleius, Doederlinus, alii. Totum autem versum huc ex Ep.* I, 6, 28, *primo tantum verbo immutato, falso translatum esse opinati sunt Hauptius, Meinekius, alii, quorum sententiam egregie praeter ceteros refellit Fritzschius.*

Hic porcum Laribus: verum ambitiosus et audax:
Naviget Anticyram. Quid enim differt, barathrone
Dones quicquid habes, an numquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusi duo praedia, dives
Antiquo censu, gnatis divisse duobus
Fertur et hoc moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum: 'Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi,
Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem,
Extimui, ne vos ageret vesania discors,
Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.
Quare per divos oratus uterque Penatis,
Tu cave ne minuas, tu ne maius facias id,
Quod satis esse putat pater et natura coercet.
Praeterea ne vos titillet gloria, iure
Iurando obstringam ambo: uter aedilis fueritve
Vestrum praetor, is intestabilis et sacer esto.
In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
Latus ut in circo spatiere et aeneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,

---

166. balatrone *cum perpaucis codd. Bentleius; eidem tamen* balatroni *magis arrisit, quod quidem est in duobus Bersmanni codd.* 170. haec *cum paucis codd. Kirchnerus, Fritzschius, Luc. Muellerus, Sabbadinius, alii.* 172. ludere *codd.*: perdere *ab Horatii manu profectum esse contendit Bentleius: alii alia coniecerunt.* 174. vesania φψλlβσ *alii*: insania aγLg, *Mon.* 14685 (*pars rec.*) *alii, quibus suffragatus est Holderus, adversante Kellero; hanc vero lectionem nuper defendit Mewesius.* — discors *codd.*: dissors *forte legendum esse credidit Nic. Heinsius.* 183. Latus *omnes prope codd.*: laetus *pauci*: lentus *coniecit Nic. Heinsius*: altus *Peerlkampus.* — et φψλl *alii pauci*: aut *plerique codd.*

Astuta ingenuum vulpes imitata leonem!' —
Nequis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?
'Rex sum.' Nil ultra quaero plebeius. 'Et aequam
Rem imperito; ac sicui videor non iustus, inulto
Dicere quod sentit permitto.' Maxime regum,
Di tibi dent capta classem reducere Troia.
Ergo consulere et mox respondere licebit?
'Consule.' Cur Aiax, heros ab Achille secundus,
Putescit, totiens servatis clarus Achivis?
Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato,
Per quem tot iuvenes patrio caruere sepulcro?
'Mille ovium insanus morti dedit, inclitum Ulixen
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.'
Tu, cum pro vitula statuis dulcem Aulide gnatam
Ante aras spargisque mola caput, improbe, salsa,
Rectum animi servas? 'Quorsum?' Insanus quid enim Aiax

186. volpes ψl *pr. alii perpauci.* 188. quaero *omnes fere codd.*: quaere *Blandinius vetustissimus a prima manu; recepit Bentleius*: quaeram *unus codex apud Bentleium*: quaeres *ex coniectura Doederlinus.* — Et *codd.*: At *Peerlkampus.* 189. ac *maior pars codd.*: at λ, *Blandin. vetust., alii pauci; recepit Bentleius, sed* ac *rectius esse animadvertit.* 190. quae *contra omnium fere codd. fidem aliquot ante Bentleium editt. protulerunt*: quid *praebent admodum pauci, in his* g. 191. reducere *vel* redducere *omnes paene codd.*: deducere *perpauci, probantibus Bentleio, Kirchnero, Luc. Muellero, aliis.* 194. Putescit aγφψλL*pr.*β*pr.*σ, *omnes Blandinii, alii*: Putrescit *pauci, in his* gL*corr.*β*corr.* 201. Quorsum *omnes ad unum codd.*: Rectum animi servas cursum? *emendavit Bothius, receperunt Holderus, Kellerus cum Haeussnero, probante Sabbadinio, qui, cum* quorsum *retineret, id more veterum pro* cursum *Horatium scripsisse iudicavit*: Rectum animi servas? Quorsum insanus? *distinxit Fritzschius.*

Fecit? Cum stravit ferro pecus, abstinuit vim
Uxore et gnato; mala multa precatus Atridis,
Non ille aut Teucrum aut ipsum violavit Ulixen.
'Verum ego, ut haerentis adverso litore navis
Eriperem, prudens placavi sanguine divos.'
Nempe tuo, furiose. 'Meo, sed non furiosus.'
Qui species alias veris scelerisque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur, atque,
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.
Aiax immeritos cum occidit, desipit, agnos;
Cum prudens scelus ob titulos admittis inanis,
Stas animo et purum est vitio tibi, cum tumidum est [cor?
Siquis lectica nitidam gestare amet agnam,
Huic vestem ut gnatae paret, ancillas paret, [aurum,
Rufam aut Pusillam appellet fortique marito
Destinet uxorem, interdicto huic omne adimat ius
Praetor et ad sanos abeat tutela propinquos.

---

208. veris sceleris *admodum pauci, veluti* g *et Blandin. vetustiss., probantibus Rittero, Luc. Muellero, Dillenburgero, Kellero, Mewesio, aliis*: veri sceleris aγLσβ *alii, quibus obtemperaverunt Holderus, Fritzschius, alii*: veris celeris φψλ*l*: veris cerebri *coniecit Horkelius.* 211. cum immeritos *pauci, in his* g, *probantibus Bentleio, Kirchnero, Rittero, Luc. Muellero, Mewesio, aliis multis.* 212. Tu *pro* cum *ex coniectura Bentleius, qui illud* cum *post* titulos *Horatium collocasse pro certo habuit.* — admittis *maior pars codd.*: committis *ex perpaucis codd. Dillenburgerus*: admittit *Parisinus* 8213: committit g *cum perpaucis.* 216. aut Pusillam *plerique codd.*: et *aliquot Cruquii codd. cum aliis paucis*: Posillam *in Blandinio vetust. fuisse constat, probantibus Bentleio, Rittero, Luc. Muellero, aliis.*

Quid, siquis gnatam pro muta devovet agna,
Integer est animi? Ne dixeris. Ergo ubi prava
Stultitia, hic summa est insania; qui sceleratus,
Et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum:
Vincet enim stultos ratio insanire nepotes.
Hic simul accepit patrimoni mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius ac Tusci turba impia vici,
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum
Mane domum veniant. Quid tum? Venere [frequentes
Verba facit leno: 'Quicquid mihi, quicquid et horum
Cuique domi est, id crede tuum et vel nunc pete [vel cras.'
Accipe quid contra haec iuvenis responderit aequus.
'In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
Cenem ego; tu piscis hiberno ex aequore verris.

---

219. multa *pro* muta *admodum pauci, velut* g, *Monacensis* 14685 (*pars rec.*). 225. Vincet aγgσβ *alii multi*: Vincit φψλ*l*L *cum paucis*. 230. Quid tum? Venere *cum plerisque codd. scribendum esse omnes prope viri eruditi consentiunt*: qui cum venere *coniecit Bentleius, probante Luc. Muellero*: quid enim? Venere *duo codd. apud Torrentium*. 233. contra haec iuvenis *plerique codd.*: contra hoc iuvenis *non pauci, quorum mentio est apud Kirchnerum*: contra iuvenis *pauci, quos potiores habuerunt Bentleius, Luc. Muellerus, Fritzschius, Dillenburgerus, Mewesius, alii*. 234. Tu nive, *repugnantibus codd., Bentleius*. 235. verris φψλβL *alii, in his Blandinii, probantibus Bentleio, Luc. Muellero, Kellero, Mewesio, aliis multis*: vellis aγgσl *alii, quibus paruerunt Helderus et Fritzschius*.

Segnis ego, indignus qui tantum possideam: aufer!
Sume tibi deciens: tibi tantundem; tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte vocata.'
Filius Aesopi detractam ex aure Metellae,
Scilicet ut deciens solidum absorberet, aceto
Diluit insignem bacam: qui sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen iaceretve cloacam?
Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,
Nequitia et nugis, pravorum et amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coemptas,
Quorsum abeant? Sani ut creta an carbone notati?
Aedificare casas, plostello adiungere mures,
Ludere par impar, equitare in harundine longa
Siquem delectet barbatum, amentia verset.
Si puerilius his ratio esse evincet amare,
Nec quicquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores: quaero, faciasne quod olim
Mutatus Polemon? ponas insignia morbi,

---

288. currit *codd.*: curret *Doederlinus.* — citata *pro* vocata *nonnulli codd. apud Feam, praeterea Porphyrion, qui tamen addit* „*legitur et* vocata „. 240. absorberet γglσβ *corr. Mon.* 14685 (*pars rec.*) *alii.*: obsorberet a *cum paucis*: exorberet φψλ *alii pauci*: exsorberet ψ *corr.* Lβ *pr., comprobante Dillenburgero.* 246. sani ut aγgσlβ *alii multi, probantibus Doederlino, Holdero, Dillenburgero, Fritzschio, Kellero, Meweslo*: sani *cum nonnullis codd. Ritterus*: sani an *pauci*: sanin *maluit Bentleius Marcilium secutus, probaverunt Luc. Muellerus et Sabbadinius.* — notandi *ex perpaucis recepit Doederlinus.* 249. delectet *plerique codd.*: delectat φψλι *alii pauci.* 250. Sic *pro* Si *pauci, veluti* λ*pr.*Lσβ^1. — evincet *omnes fere codd.*: vincet β *cum perpaucis.*

Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri?
Porrigis irato puero cum poma, recusat;
'Sume, catelle': negat; si non des, optet. Amator
Exclusus qui distat, agit ubi secum, eat an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, et haeret
Invisis foribus? 'Nec nunc, cum me vocet ultro,
Accedam? An potius mediter finire dolores?
Exclusit; revocat: redeam? Non, si obsecret.' — Ecce
Servus, non paulo sapientior: 'o ere, quae res
Nec modum habet neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult. In amore haec sunt mala, bellum,
Pax rursum: haec siquis tempestatis prope ritu
Mobilia et caeca fluitantia sorte laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione modoque.'
Quid? cum Picenis excerpens semina pomis
Gaudes, si cameram percusti forte, penes te es?
Quid? cum balba feris annoso verba palato,

---

255. cubital *admodum pauci*: cubitale *ceteri*. 259. optat σ *cum paucis, probante Doederlino*. 262. Nec *omnes prope codd., quibus obsecuti sunt Ritterus, Doederlinus, Holderus, Fritzschius, Mewesius, alii, refragantibus Kirchnero, Luc. Muellero, Hirschfeldero, Sabbadinio, qui, Bentleium imitati, ex paucis codd.* (*in his* $g^1\lambda^2$) ne *sumpserunt*. — non *pro* nunc *admodum pauci, velut* aγ. — vocat σ *cum paucis, probaverunt Bentleius, Kirchnerus, Doederlinus, alii*: vocet *maior pars codd.* 263. ac *pro eo quod est* an *perpauci*. — dolores *omnes paene codd.*: labores *pauci deteriores*. 264. si obsecret? *interrogationis nota distinxit Doederlinus*. 274. feris *omnes prope codd.*: feres *cum perpaucis Doederlinus*.

Aedificante casas qui sanior? Adde cruorem
Stultitiae, atque ignem gladio scrutare. Modo, [inquam,
Hellade percussa Marius cum praecipitat se,
Cerritus fuit, an commotae crimine mentis
Absolves hominem, et sceleris damnabis eundem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat et 'unum,
Quid tam magnum?' addens, 'unum me surpite [morti!
Dis etenim facile est' orabat, sanus utrisque
Auribus atque oculis; mentem, nisi litigiosus,
Exciperet dominus, cum venderet. Hoc quoque vulgus
Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.
'Iuppiter, ingentis qui das adimisque dolores,'
Mater ait pueri menses iam quinque cubantis,
'Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
In Tiberi stabit.' Casus medicusve levarit
Aegrum ex praecipiti: mater delira necabit

---

276. gladio scrutare. Modo, inquam, *distinxerunt Bentleius, Holderus, Kellerus, Fritzschius, Meinekius, alii*: gladio scrutare modo, inquam. *Kirchnerus, Ritterus, Sabbadinius*: gladio scrutare modo, in quem *coniecit Frankius, ediderunt Doederlinus, Luc. Muellerus.* 283. Quid tam aγLφψλβ *alii multi, in his Blandinii*: Quiddam gσl *cum paucis, quibus obtemperavit Kirchnerus: nonnullae autem coniecturae prolatae sunt, ut* Quidnam magnum? Id tam magnum? Cui tam magnum? Qui tam magnum? 286. vulgus *plerique codd.*: vulgo gλL *cum aliis paucis*: volgo ψ *pr.* 291. Mane φψλlβγ *corr. alii*: Magne aγ*pr.*σgL *alii.* 292. medicusque *aliquot codd., veluti* φψλlβ.

In gelida fixum ripa febremque reducet.
Quone malo mentem concussa? Timore [deorum." —
Haec mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.
Dixerit insanum qui me, totidem audiet atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.'
'Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris,
Qua me stultitia, quoniam non est genus unum,
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.'
'Quid? caput abscisum manibus cum portat Agave
Gnati infelicis, sibi tunc furiosa videtur?'
'Stultum me fateor (liceat concedere veris)
Atque etiam insanum: tantum hoc edissere, quo me
Aegrotare putes animi vitio.' 'Accipe: primum
Aedificas, hoc est longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis, et idem
Corpore maiorem rides Turbonis in armis
Spiritum et incessum: qui ridiculus minus illo?
An quodcumque facit Maecenas, te quoque verum est

---

295. percussa βσ *cum perpaucis.* 301. Quam me stultitiam *Cruquius ex cod. Martinio et Lambinus ante eum ex coniectura, recepit et defendit Bentleius, cui obsecutus est Meinekius.* 303. abscisum *omnes bonae notae codd.*: abscissum *pauci deteriores.* — manibus *Bland. vetustiss., unus Pulmanni, alii pauci, in his g, quos sequendos esse censuerunt Bentleius, Kirchnerus, Ritterus, Fritzschius, alii multi, contradicente Kellero, qui* demens *ex plerisque codd. ab Holdero repositum suo patrocinio tueri studuit.* 304. tunc *maior pars codd.*: tum *φψλl, alii pauci*: num σ^2 *cum perpaucis.* 310. Tuberonis *coniecit Nic. Heinsius, refutavit Bentleius.*

Tantum dissimilem et tanto certare minorem?
Absentis ranae pullis vituli pede pressis
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Belua cognatos eliserit: illa rogare,
Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset?
'Maior dimidio.' 'Num tanto?' Cum magis atque
Se magis inflaret, 'non, si te ruperis', inquit,
'Par eris.' Haec a te non multum abludit imago.
Adde poemata nunc, hoc est, oleum adde camino,
Quae siquis sanus fecit, sanus facis et tu.
Non dico horrendam rabiem.' 'Iam desine.' 'Cultum
Maiorem censu.' 'Teneas, Damasippe, tuis te.'
'Mille puellarum, puerorum mille furores.'
'O maior tandem parcas, insane, minori!'

---

313. Tantum *Blandinius vetustiss. cum perpaucis, restituit Bentleius, quem plerique secuti sunt*: Tanto *omnes prope codd., probantibus Holdero, Kellero, Fritzschio.* — captare *pro* certare *ex coniectura Nic. Heinsius.* 317. Num tandem se inflans, sic magna fuisset? *editt. veteres ante Bentleium, qui veram lectionem a Cruquio ex bonis codd. prolatam vindicavit et restituit*: tandem *pro* tantum *exhibent plerique codd., ut* aγφψλlLσg: sufflans se aγLgσ *alii*: sufflans si φψlβ *cum paucis*: sufflans sic λ *cum perpaucis*: se inflans sic *Parisinus* 8213. 318. Maior. Dimidio? *distinxerunt Ritterus, Luc. Muellerus.* — Num tantum? *ex codd. Cruquianis et paucis suis reposuit Bentleius, probantibus Kirchnero, Dillenburgero, Mewesio, Sabbadinio, aliis paucis*: Num tanto? *omnes prope codd.* 322. fecit, sanus facis et tu aγφψλlgσ *unus Blandinius, alii, adprobantibus Bentleio, Kirchnero, Rittero, Doederlino, Holdero, aliis multis*: facit, et sanus facies tu *ex paucis codd. receperunt Dillenburgerus et Luc. Muellerus*: fecit, sanus facies tu *emendavit Fritzschius*: faciet, sanus facies tu *coniecit Linkerus.* 323. dicam *perpauci codd. atque editt. vett. ante Aldum.*

IIII

Unde et quo Catius? 'Non est mihi tempus aventi
Ponere signa' novis praeceptis, qualia vincent
Pythagoran Anytique reum doctumque Platòna.'
Peccatum fateor, cum te sic tempore laevo
Interpellarim; sed des veniam bonus, oro.
Quodsi interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox,
Sive est naturae hoc sive artis, mirus utroque.
'Quin id erat curae, quo pacto cuncta tenerem,
Utpote res tenuis, tenui sermone peractas.'
Ede hominis nomen, simul et, Romanus an hospes.
'Ipsa memor praecepta canam, celabitur auctor.
Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut suci melioris et ut magis alba rotundis,
Ponere: namque marem cohibent callosa vitellum.

II 4. — 1. aventi *omnes prope codd.*: avendi λ *pr. et Monacensis* 14685 (*pars rec.*) *p. ras.*: habenti $\varphi\psi$. 2. vincent $\varphi\psi\lambda g^1$, *Blandin. vetustiss., alii*: vincunt *plerique, adprobantibus Holdero, Kellero, Fritzschio, Dillenburgero, Sabbadinio*: vincant *cum perpaucis Bentleius, Kirchnerus, Doederlinus, Luc. Muellerus, Lambinum et Cruquium secuti.* 3. utiq; *pro eo quod est* Anytique *exhibent* $\varphi\psi\lambda$ *pr.*: antique *l*: anetique σ. 5. Interpellarem $\varphi\psi L^1$ *alii pauci.* 10. simul et *Bentleius cum veteribus ante Aldum editt., quod etiam omnes fere codd. praebent*: simul an *cum perpaucis codd. Aldus et editt. ante Bentleium.* 11. Ipse $\beta\sigma$ *alii perpauci.* — celebrabitur *pauci, in his* $\varphi\psi l^1$. 13. alma *pro* alba *ex coniectura edidit Bentleius, cui obsecuti sunt Kirchnerus, Luc. Muellerus, alii*: alta *coniecit Cuningamus.* 14. prohibent $\varphi\psi\lambda l L$ *cum aliis paucis.*

Cole suburbano qui siccis crevit in agris
Dulcior: inriguo nihil est elutius horto.
Si vespertinus subito te oppresserit hospes,
Ne gallina malum responset dura palato,
Doctus eris vivam mixto mersare Falerno:
Hoc teneram faciet. Pratensibus optima fungis
Natura est; aliis male creditur. Ille salubris
Aestates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quae legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella Falerno:
Mendose; quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet: leni praecordia mulso
Prolueris melius. Si dura morabitur alvus,
Mitulus et viles pellent obstantia conchae
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.
Lubrica nascentes implent conchylia lunae;
Sed non omne mare est generosae fertile testae:
Murice Baiano melior Lucrina peloris,
Ostrea Circeis, Miseno oriuntur echini,
Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.
Nec sibi cenarum quivis temere arroget artem,
Non prius exacta tenui ratione saporum.
Nec satis est cara piscis averrere mensa,

---

15. Cole *plerique codd.*: Caule *pauci.* 18. responset φψλLβ^{l} *corr. alii*: responsat aγ: respondet gσ *corr. alii pauci.* — gallina (malum) responset *distinxerunt Iacobsius, Doederlinus, Fritzschius, improbavit Kellerus.* 19. mixto *vel* misto *codd.*: mulso *ex coniectura Landinus*: musto *coniecit et edidit Bentleius, quem secuti sunt Kirchnerus, Luc. Muellerus, Sabbadinius.* 22. peragit aγ^{l1}σβ *alii.* 36. Ni prius *cum paucis codd. Aldus.* 37. averrere aγφψλ^{l}L, *omnes Blandinii, alii*: avertere gβσ *alii, praeterea editt. veteres ante Lambinum, qui veram lectionem restituit, probante Bentleio.*

Ignarum quibus est ius aptius et quibus assis
Languidus in cubitum iam se conviva reponet.
Umber et iligna nutritus glande rotundas
Curvat aper lances carnem vitantis inertem:
Nam Laurens malus est, ulvis et harundine pinguis.
Vinea submittit capreas non semper edulis.
Fecundi leporis sapiens sectabitur armos.
Piscibus atque avibus quae natura et foret aetas,
Ante meum nulli patuit quaesita palatum.
Sunt quorum ingenium nova tantum crustula promit.
Nequaquam satis in re una consumere curam,
Ut siquis solum hoc, mala ne sint vina, laboret,
Quali perfundat piscis securus olivo.
Massica si caelo suppones vina sereno,
Nocturna, siquid crassi est, tenuabitur aura
Et decedet odor nervis inimicus: at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet faece Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo,
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.

---

39. reponit φψλlLg *alii.* 41. Curvat *omnes paene codd.*: Curvet *cum paucis Bentleius.* 44. Fecundi *plerique codd., quibus Ritterum, Holderum, Kellerum, Fritzschium iure meritoque obsecutos esse arbitror*: Fecundae σ^2 *cum perpaucis, in his Bland. vetustiss., quos potiores habuit Bentleius.* 48. Nequaquam *omnes prope codd.*: Nec quemquam *perpauci, veluti Dessauiensis A pr.*: est satis in re una consumere *vel* satis est in rem unam insumere *coniecit Bentleius, cum illud est huic versui insertum in nonnullis codd. repperisset.* 50. profundat *pauci, ut* φψβi. 51. suppones *maior pars codd., probantibus Bentleio, Kirchnero, Holdero, Fritzschio, aliis*: supponas βσ *alii pauci, quos secuti sunt Ritterus, Doederlinus, Dillenburgerus.*

Tostis marcentem squillis recreabis et Afra
Potorem coclea: nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho; perna magis et magis hillis
Flagitat immorsus refici, quin omnia malit,
Quaecumque immundis fervent adlata popinis.
Est operae pretium duplicis pernoscere iuris
Naturam. Simplex e dulci constat olivo,
Quod pingui miscere mero muriaque decebit
Non alia quam qua Byzantia putuit orca.
Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis
Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes
Pressa Venafranae quod baca remisit olivae.
Picenis cedunt pomis Tiburtia suco:
Nam facie praestant. Vennuncula convenit ollis;
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
Hanc ego cum malis, ego faecem primus et allec,

---

59. coclea *omnes codd.*, g *excepto, qui exhibet* cochlea. — acris, *repugnantibus codd., Doederlinus.* 60. ac *pro* et σ *cum paucis, recepit Holderus Bentleium aliosque secutus, improbavit Kellerus, in cuius sententiam concessit Mewesius.* 61. in morsus *pauci, in his l, quos praetulerunt Doederlinus et Dillenburgerus, edidit sed non probavit Bentleius* inmorsus *sinceram lectionem esse contendens, quod quidem plerique codd. habent*: immersus *maluerunt Praedicowius et Bothius: alii alia coniecerunt.* — mavolt *cum perpaucis codd. Bentleius.* 62. in mundis *omnes Cruquii codd. cum aliis perpaucis.* 64, 65. olivo. At pingui, *particula* At *ex Bosii codice petita, Bentleius.* 66. quae aφψl *a. ras. alii perpauci.* — putruit *admodum pauci, patrocinante Lambino; receperunt nonnullae editt. veteres*: putuit *omnes paene codd.* 71. Vennuncula φψ *alii pauci*: Veunucula γλl *alii*: Venuncula L *cum perpaucis*: Venucula βgσ, *Parisinus* 8213. 73. allec *omnes fere codd.*: hallec *admodum pauci, in his* L.

Primus et invenior piper album cum sale nigro
Incretum puris circumposuisse catillis.
Immane est vitium dare milia terna macello
Angustoque vagos piscis urgere catino.
Magna movet stomacho fastidia, seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit,
Sive gravis veteri craterae limus adhaesit.
Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus
Consistit sumptus? Neglectis, flagitium ingens.
Ten lapides varios lutulenta radere palma
Et Tyrias dare circum inluta toralia vestis,
Oblitum, quanto curam sumptumque minorem
Haec habeant, tanto reprehendi iustius illis,
Quae nisi divitibus nequeunt contingere mensis?'
Docte Cati, per amicitiam divosque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocumque, memento.
Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta,
Non tamen interpres tantundem iuveris. Adde

---

74. invenior φψλl *alii*: inventor g *cum perpaucis*: invenit L[1]: inveni aγβσ *alii multi*. 78. movet φψλgσβ *corr.*: movent *maior pars codd. et editt. veteres uno fere consensu, probante Kirchnero.* 79. frusta *admodum pauci, quibus obsecutus est Luc. Muellerus.* 80. craterae *plerique codd.*: creterrae φψg, *Blandin. vetustiss., alii pauci.* 82. Neglectis *omnes codd.*: Neclectis *Holderus et Fritzschius, adprobante Kellero.* 83. Parios *pro eo quod est* varios *coniecit Erasmus.* — luculenta *pauci, veluti* φψl[1]. — palma *codd.*: planta *ex coniectura commentus est Marcilius.* 84. inlota φψλ *alii*: illota *l*, *Paris.* 8218. 87. nequeant β *cum perpaucis, ediderunt Bentleius, Kirchnerus, Doederlinus, Luc. Muellerus, Sabbadinius, alii.* 90. memori referas *omnes fere codd.*: referas memori *admodum pauci cum* g., *item editt. veteres ante Bentleium.*

Vultum habitumque hominis, quem tu vidisse beatus
Non magni pendis, quia contigit: at mihi cura
Non mediocris inest, fontis ut adire remotos
Atque haurire queam vitae praecepta beatae.

V

Hoc quoque, Teresia, praeter narrata petenti
Responde, quibus amissas reparare queam res
Artibus atque modis. Quid rides? 'Iamne doloso
Non satis est Ithacam revehi patriosque Penatis
Aspicere?' O nulli quicquam mentite, vides ut
Nudus inopsque domum redeam te vate; neque illic
Aut apotheca procis intacta est aut pecus: atqui
Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est.
'Quando pauperiem missis ambagibus horres,
Accipe qua ratione queas ditescere. Turdus
Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,
Res ubi magna nitet domino sene; dulcia poma
Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives;
Qui quamvis periurus erit, sine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus, ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.'
Utne tegam spŭrco Damae latus? Haud ita Troiae

II, 5. – 1. Teresia aγφψβ *alii, prodantibus Holdero, Fritzschio, Kellero* : Tiresia (*nonnulli etiam* Tyresia) *habent ceteri.* 3, 4. Iamne, dolose, Non satis *ex cod. Petrensi Bentleius*: dolosos φψλ*l*. 11. privum *omnes prope codd.*: primum λ *cum perpaucis.*

Me gessi, certans semper melioribus. 'Ergo
Pauper eris.' Fortem hoc animum tolerare iubebo:
Et quondam maiora tuli. Tu protinus, unde
Divitias aerisque ruam dic, augur, acervos.
'Dixi equidem et dico. Captes astutus ubique
Testamenta senum, neu, si vafer unus et alter
Insidiatorem praeroso fugerit hamo,
Aut spem deponas aut artem inlusus omittas.
Magna minorve foro si res certabitur olim,
Vivet uter locuples sine gnatis, improbus, ultro
Qui meliorem audax vocet in ius, illius esto
Defensor; fama civem causaque priorem
Sperne, domi si gnatus erit fecundave coniunx.
'Quinte' puta aut 'Publi' (gaudent praenomine [molles
Auriculae), 'tibi me virtus tua fecit amicum:
Ius anceps novi, causas defendere possum:
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemptum quassa nuce pauperet: haec mea cura est,
Nequid tu perdas, neu sis iocus.' Ire domum atque
Pelliculam curare iube; fi cognitor ipse:
Persta atque obdura, seu rubra Canicula findet
Infantis statuas, seu pingui tentus omaso

---

21. protenus, *refragantibus codd.*, *Bentleius*. 22. eruam *pauci, in his* g. 31. coniunx aγψ*corr.* σ*corr.* glβ*corr.* *alii*: coniux φψ*pr.* β*pr.* σ*pr.* *alii*. 36. quassa *omnes fere codd., in his Cruquiani*: cassa σ^2 *cum perpaucis, quos potiores habuit Bentleius, adprobantibus Kirchnero, Doederlino, Dillenburgero, Luc. Muellero.* 38. fi *maior pars codd. cum quattuor Blandiniis*: si aφψl^1 *ut vid.*: sis φ*corr.* σβ*corr.*, *alii perpauci*: ei fit g. 39. Presta *pauci, ut* φψλl. 40. Infantis *vel* Infantes *codd.*: Infamis *coniecit Huemnerus.*

Furius hibernas cana nive conspuet Alpis.
'Nonne vides' aliquis cubito stantem prope tangens
Inquiet, 'ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?'
Plures adnabunt thynni et cetaria crescent.
Sicui praeterea validus male filius in re
Praeclara sublatus aletur, ne manifestum
Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem
Arrepe officiosus ut et scribare secundus
Heres et, siquis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias: perraro haec alea fallit.
Qui testamentum tradet tibi cumque legendum,
Abnuere et tabulas a te removere memento,
Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu; solus multisne coheres,
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.'
Num furis? an prudens ludis me obscura canendo?
'O Laertiade, quicquid dicam, aut erit aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.'

---

44. thynni aγg *corr.* β *alii*: tynni *nonnulli, in his* g *pr.*: thinni φψλl *alii*: tinni σ: thunni *aliquot codd. quos secuti sunt Bentleius, Kirchnerus, Doederlinus, alii.* 48. Arripe *vel* Adripe *non pauci, in his* aφψλlβ² (adrepe *vel* arrepe σgγLφ*corr.* β¹ *cum aliis multis*). — ut et *codd., si perpaucos excipias qui et omiserunt*: uti *ex Heindorfii coniectura Luc. Muellerus, Kellerus, Sabbadinius*: utei *maluit Teuffelius*; ut ei *Madvigius.* 59, 60. magnus mihi donat *omnes paene codd.*: mihi magnus donat g *cum duobus Bentleii codd.*: magnus donavit, *reiecto* mihi *tamquam spurio et ex glossa petito, cum cod. Collegii Trinitatis legendum esse censuit Bentleius*: aut erit, aut non Divinare mihi magnus donavit Apollo *ex Eichstaedtii coniectura edidit Fritzschius*: *alii alia commenti sunt.*

Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.
'Tempore quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Aenea, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano
Filia Nasicae, metuentis reddere soldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit atque
Ut legat orabit; multum Nasica negatas
Accipiet tandem et tacitus leget invenietque
Nil sibi legatum praeter plorare suisque.
Illud ad haec iubeo: mulier si forte dolosa
Libertusve senem delirum temperet, illis
Accedas socius; laudes, lauderis ut absens.
Adiuvat hoc quoque, sed vincit longe prius ipsum
Expugnare caput. Scribet mala carmina vecors:
Laudato. Scortator erit: cave te roget: ultro
Penelopam facilis potiori trade.' Putasne,
Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
Quam nequiere proci recto depellere cursu?
'Venit enim, magnum donandi parca, iuventus,
Nec tantum Veneris quantum studiosa culinae:
Sic tibi Penelope frugi est; quae si semel uno
De sene gustarit tecum partita lucellum,
Ut canis a corio numquam absterrebitur uncto.
Me sene, quod dicam, factum est. Anus improba
[Thebis

---

61. scilicet *nonnulli, velut* aγψλl. 73. vincet *pauci, in his* al *aut pr.* gσ. 74. scribit φψ *alii pauci.* 76. Penelopam *omnes prope codd.*: Penelopem *pauci*: Penelopen *editt. veteres.* 79. Venit enim magnum *codd.*: Venit enim (indignum) *ex coniectura edidit Bentleius*: Venit enim ambitum *coniecit Sabbadinius sed codd. lectionem retinuit.* 84. factum est dicam g *cum paucis.*

Ex testamento sic est elata: cadaver
Unctum oleo largo nudis umeris tulit heres,
Scilicet elabi si posset mortua; credo,
Quod nimium institerat viventi. Cautus adito,
Neu desis operae, neve immoderatus abundes.
Difficilem et morosum offendet garrulus: ultra
Non etiam sileas; Davus sis comicus atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.
Obsequio grassare; mone, si increbruit aura,
Cautus uti velet carum caput; extrahe turba
Oppositis umeris; aurem substringe loquaci.
Importunus amat laudari: donec 'ohe iam!'
Ad caelum manibus sublatis dixerit, urge,
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
Cum te servitio longo curaque levarit,
Et certum vigilans 'quartae sit partis Ulixes'

---

87. elabi *maior pars codd.*: et labi *l*L: ut labi σ *pr. alii perpauci.* — sic *pro* si Lβ, *quattuor Blandinii* (*sed* ut sic *Bland. vetustiss.*). 88. extiterat *admodum pauci, ut* φψ. 90, 91. offendet *codd.* (*sed* offendit φψ*l*): offendes, *invitis codd., edidit Bentleius, quem imitati sunt Luc. Muellerus et Sabbadinius.* — ultro *pro* ultra γ *corr. l* σ *corr.* β² *alii pauci*: garrulus ultro. Non *distinxit Bentleius, probante Doederlino*: garrulus: ultra noli et iam *coniecit Lehrsius*: garrulus: ultra nolit: iam sileas *Bluemnerus.* 93. increbruit γgσ *corr. alii pauci, in his Bland. vetustiss.*: increbuit aφψλ*l*σ *pr.*: increpuit Lβ *alii pauci.* 96. 'ohe!' iam *distinxerunt Meinekius, Doederlinus, Luc. Muellerus, Dillenburgerus.* 97. urge (*vel* urgue) et *perpauci codd., praeterea Aldi, Lambini, Bentleii, Luc. Muelleri, aliorum editt.* 100. quartae esto *cum paucis suis et quibusdam Lambini codd. Bentleius, cui obsecuti sunt Kirchnerus, Doederlinus, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Sabbadinius.*

Audieris 'heres': 'ergo nunc Dama sodalis
Nusquam est? unde mihi tam fortem tamque fidelem?'
Sparge subinde et, si paulum potes, inlacrimare; est
Gaudia prodentem vultum celare. Sepulcrum
Permissum arbitrio sine sordibus exstrue: funus
Egregie factum laudet vicinia. Siquis
Forte coheredum senior male tussiet, huic tu
Dic, ex parte tua seu fundi sive domus sit
Emptor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
Imperiosa trahit Proserpina: vive valeque.'

VI

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons
Et paulum silvae super his foret. Auctius atque
Di melius fecere. Bene est. Nil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.
Si neque maiorem feci ratione mala rem,
Nec sum facturus vitio culpave minorem,
Si veneror stultus nihil horum: 'o si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!

---

103. inlacrima. e re est *emendandum esse censuit Lachmannus, quod iam coniecerat Praedicowius; ediderunt autem Kirchnerus, Luc. Muellerus, alii*: si paulum potes inlacrimare, *dempta distinctionis nota, Bentleius, Ritterus, Doederlinus.* 104. vultum *omnes fere codd.*: multum φψl1.

II, 6. — 4. nil φψλlgσL *alii multi, restituit Bentleius*: nihil aγ *cum paucis.* — oro *omnes paene codd.*: opto *perpauci.* 7. que *pro* ve aγgλLσ. 9. deformat *cum paucis codd. Aldus.*

O si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi,
Thesauro invento qui mercennarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule!' si, quod adest, gratum iuvat, hac prece te oro:
Pingue pecus domino facias et cetera praeter
Ingenium, utque soles custos mihi maximus adsis!
Ergo ubi me in montis et in arcem ex urbe removi,
Quid prius inlustrem satiris Musaque pedestri?
Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus Auster
Autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.
Matutine pater, seu Iane libentius audis,
Unde homines operum primos vitaeque labores
Instituunt (sic dis placitum), tu carminis esto
Principium. Romae sponsorem me rapis. 'Heia!
Ne prior officio quisquam respondeat, urge.'
Sive Aquilo radit terras seu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
Postmodo, quod mi obsit, clare certumque locuto
Luctandum in turba et facienda iniuria tardis.

---

10. Heu *pro* O *admodum pauci, veluti* φψ. — fors qua *habent nonnulli codd., edidit Aldus, improbante Bentleio, qui veram lectionem vindicavit.* — ille *pauci, in his* g *et Blandinius vetustiss.* 13. ac γλ *pr. cum perpaucis.* 17. satyris *omnes fere codd.*: satiris aσ *cum paucis:* saturis *Paris.* 8214 *a m. pr. Totum autem versum parenthesis notis inclusit Gesnerus, probante Doeringio; contra Kirchnerus eum post. v.* 19 *collocandum esse censuit, quod Doederlino quoque placuit.* 23. Romam *coniecit Marcilius.* — Eia *aliquot codd., ut* γβσLλ *pr.* 27. quid gL *alii pauci.* — certum *codd.*: multum *Servius.*

'Quid vis, insane, et quas res agis?' improbus urget
Iratis precibus: 'tu pulses omne quod obstat,
Ad Maecenatem memori si mente recurras.'
Hoc iuvat et melli est, non mentiar. At simul atras
Ventum est Esquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa saliunt latus. 'Ante secundam
Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras.
De re communi scribae magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti.
Imprimat his, cura, Maecenas signa tabellis.'
Dixeris, experiar: 'si vis, potes,' addit et instat.
Septimus octavo propior iam fugerit annus,
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero, dumtaxat ad hoc, quem tollere raeda
Vellet iter faciens, et cui concredere nugas
Hoc genus: 'Hora quota est? Thraex est Gallina [Syro par?
Matutina parum cautos iam frigora mordent,'
Et quae rimosa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam

---

29. Quid tibi vis *omnes prope optimae notae codd., quod cum probaret Bentleius,* quas res, *invitis codd., in* quam rem *mutavit, ut sic versus constitueretur* Quid tibi vis, insane, et quam rem agis? e. q. s.: Quid vis *pauci, in his* β *corr.* λ *p. ras.* L *p. ras., Parisinus* 8218. — agis improbus? urget *distinxerunt Doeringius, Doederleinus, alii, quos nemo iam sequitur.* 32. mentior *nonnulli, in his* σ. 37. Quinte *plerique codd.*: Quincte φψl¹. 44. Thraex *vel* Threx *maior pars codd.*: Thrax (*vel* Trax) λlgσ *alii pauci, quibus palmam dederunt Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Sabbadinius.*

Invidiae noster. Ludos spectaverat una,
Luserat in campo: 'Fortunae filius!' omnes.
Frigidus a rostris manat per compita rumor:
Quicumque obvius est, me consulit: 'o bone (nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet),
Numquid de Dacis audisti?' 'Nil equidem.' 'Ut tu
Semper eris derisor!' 'At omnes di exagitent me,
Si quicquam.' 'Quid? militibus promissa Triquetra
Praedia Caesar an est Itala tellure daturus?'
Iurantem me scire nihil mirantur ut unum
Scilicet egregii mortalem altique silenti.
Perditur haec inter misero lux, non sine votis:
O rus, quando ego te aspiciam, quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?
O quando faba Pythagorae cognata simulque
Uncta satis pingui ponentur holuscula lardo?
O noctes cenaeque deum, quibus ipse meique
Ante Larem proprium vescor vernasque procaces

---

48. Invidiae. Noster ludos *cum aliquot codd.* (*cfr.* γLλσβ²ψ²) *edit. ante Bentleium omnes, ad quarum exemplum distinxerunt Doeringius, Ritterus, alii.* — spectaverit *ex paucis codd. Bentleius; eandem lectionem exhibet* g. 57. mirantur aγLgσβλ*l alii*: miratur, *quod habent* φψ *et Battelianus, edidit Bentleius.* — et *pro eo quod est* ut aγg*lpr*.β *alii.* 58. egregium *unus, ut videtur, cod. apud Valartium, edidit autem Luc. Muellerus, quem imitatus est Sabbadinius.* 59. Perditur *omnes ad unum codd.*: Porgitur *ab Horatii manu profectum esse arbitratus est Lachmannus*: Mergitur *maluerunt Kruegerus et Madvigius*: Luditur *coniecit Sabbadinius: alii alias coniecturas proposuerunt.* 64. ponuntur *admodum pauci, in his* gL. — holuscula *maior pars codd.*: oluscula σβ*l*.

Pasco libatis dapibus. Prout cuique libido est,
Siccat inaequalis calices conviva, solutus
Legibus insanis, seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis uvescit laetius. Ergo
Sermo oritur, non de villis domibusve alienis,
Nec, male necne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos
Pertinet et nescire malum est, agitamus, utrumne
Divitiis homines an sint virtute beati,
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos,
Et quae sit natura boni summumque quid eius.
Cervius haec inter vicinus garrit anilis
Ex re fabellas. Siquis nam laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes, sic incipit: 'olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,
Asper et attentus quaesitis, ut tamen artum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque ille
Sepositi ciceris nec longae invidit avenae,
Aridum et ore ferens acinum semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens varia fastidia cena
Vincere tangentis male singula dente superbo;

---

67. Prout aγψ *corr.*lβσ *alii*: cum ut φψ*pr.*gL, *probante Bentleio.* 70. uvescit aγLσβ^1 *alii*: humescit λlψ*p.ras.*gβ^2 *alii.* 72. nepos *praebent aliquot codd.*, *ut* γ*corr.*λlφ^2. 77. haec *plerique codd.*, *in his omnes Blandinii*: hac a^{2}g *alii pauci.* — vicinos *complures*, *velut* γ *corr.* g *corr.* σ^{1}λ^{1}L, *omnes Blandinii.* 78. Siquis nam *omnes fere codd.*: Nam siquis *cum paucis codd. editt. veteres ante Bentleium, qui sinceram lectionem revocavit et defendit.* 82. attentus aγφψλlLβσ *alii multi*: intentus g, *unus Blandinius, alii pauci.* 83. neque illi *pauci codd.*, *quos secutus est Lambinus, improbante Bentleio, qui neque ille restituit.*

Cum pater ipse domus palea porrectus in horna
Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc 'Quid te iuvat' inquit,
Praerupti nemoris patientem vivere dorso? ['amice,
Vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?
Carpe viam, mihi crede, comes; terrestria quando
Mortalis animas vivunt sortita, neque ulla est
Aut magno aut parvo leti fuga: quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus iucundis vive beatus,
Vive memor, quam sis aevi brevis.' Haec ubi dicta
Agrestem pepulere, domo levis exsilit; inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Moenia nocturni subrepere. Iamque tenebat
Nox medium caeli spatium, cum ponit uterque
In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos,
Multaque de magna superessent fercula cena,
Quae procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes
Continuatque dapes, nec non verniliter ipsis
Fungitur officiis, praelambens omne quod adfert.

92. Vis *uno fere consensu codd.*: Vin' *ex suis codd. Lambinus.* 95. bone aφψλ *alii*: bene gγ^{l}L, *omnes Cruquiani, alii.* 108. verniliter *complures codd.*: vernaliter λlLγ^{2}φ *p. ras.* β *corr., alii multi, item omnes fere ante Bentleium editt.* — ipse, *refragantibus codd., Lambinus*: ipsus *maluit Teuffelius.* 109. praelambens *omnes boni codd.*: praelibans *pauci deteriores, quos tamen praetulerunt Bentleius et Kirchnerus.*

Ille cubans gaudet mutata sorte bonisque
Rebus agit laetum convivam, cum subito ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave, magisque
Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
Personuit canibus. Tum rusticus: 'Haud mihi vita
Est opus hac' ait et 'valeas: me silva cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.'

VII

'Iamdudum ausculto, et cupiens tibi dicere servus
Pauca reformido.' Davusne? 'Ita, Davus, amicum
Mancipium domino et frugi quod sit satis, hoc est,
Ut vitale putes.' Age, libertate Decembri,
Quando ita maiores voluerunt, utere; narra.
'Pars hominum vitiis gaudet constanter et urget
Propositum; pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Saepe notatus
Cum tribus anellis, modo laeva Priscus inani,
Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas,
Aedibus ex magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeste,
Iam moechus Romae, iam mallet doctus Athenis
Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.

---

116. valeat *cum suis codd. Lambinus.*

II, 7. — 7. capescens aγl1 *alii pauci.* 13. doctus aγσl *alii:* doctor *complures, in his* φψλLgβ, *omnes Blandinii.*

Scurra Volanerius, postquam illi iusta cheragra
Contudit articulos, qui pro se tolleret atque
Mitteret in phimum talos, mercede diurna
Conductum pavit: quanto constantior isdem
In vitiis, tanto levius miser ac prior illo,
Qui iam contento, iam laxo fune laborat.'
Non dices hodie, quorsum haec tam putida tendant,
Furcifer? 'Ad te, inquam.' Quo pacto, pessime? ['Laudas
Fortunam et mores antiquae plebis, et idem,
Siquis ad illa deus subito te agat, usque recuses,
Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse,
Aut quia non firmus rectum defendis, et haeres
Nequicquam caeno cupiens evellere plantam.
Romae rus optas; absentem rusticus urbem
Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus
Ad cenam, laudas securum holus ac, velut usquam

---

15. cheragra L *pr. cum paucis*: chiragra *vel* chyragra *maior pars codd.*: ciragra *nonnulli, ut* gσ: cyragra ψ *pr.*β*l alii.* 17. in phimum aγβ *alii*: in fimum φψλ*l*L: in pyrgum (*etiam* in pirgum) *exhibent aliquot codd., quod quidem non ab Horatii manu sed a Pseudo-Acronis aliorumque explanatione profectum esse constat.* 18. isdem agφ *a. ras.* ψ *a.ras.* β *a.ras.* L *alii, ediderunt Kirchnerus, Ritterus, alii multi, adversantibus Bentleio, Holdero, Fritzschio, Kellero, aliis, qui aliquot codd. secuti* idem *praetulerunt.* 19. acrior *pro eo quod est* ac prior *complures, in his* agβ. — illo β² *Paris.* 8213 *alii perpauci, quibus paruerunt Kirchnerus, Doederlinus, Kellerus, Mewesius, Sabbadinius; Holderus contra* ille *probavit, quod omnes fere codd. habent quodque ediderunt etiam Bentleius, Ritterus, Fritzschius, Luc. Muellerus.* 20. iam... iam gλ*l*L¹σ *alii*: tam... quam L²φψβ, *tres Blandinii, alii.* 21. dices, hodie *distinguunt plerique, adversante Mewesio.*

Vinctus eas, ita te felicem dicis amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum. Iusserit ad se
Maecenas serum sub lumina prima venire
Convivam: 'nemon oleum feret ocius? ecquis
Audit?' cum magno blateras clamore fugisque.
Mulvius et scurrae, tibi non referenda precati,
Discedunt. 'Etenim fateor me' dixerit ille
'Duci ventre levem, nasum nidore supinor,
Imbecillus, iners, siquid vis, adde, popino.
Tu cum sis quod ego et fortassis nequior, ultro
Insectere velut melior verbisque decoris
Obvolvas vitium?' Quid, si me stultior ipso
Quingentis empto drachmis deprenderis? Aufer
Me vultu terrere; manum stomachumque teneto,
Dum, quae Crispini docuit me ianitor, edo.
Te coniunx aliena capit, meretricula Davum:
Peccat uter nostrum cruce dignius? Acris ubi me
Natura intendit, sub clara nuda lucerna
Quaecumque excepit turgentis verbera caudae,
Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum,
Dimittit neque famosum neque sollicitum, ne
Ditior aut formae melioris meiat eodem.
Tu, cum proiectis insignibus, anulo equestri

---

34. feret *maior pars codd.*: fert $\sigma l \psi^2$ *alii pauci, quibus Bentleium imitati plerique critici suffragati sunt, improbantibus Kellero et Mewesio.* 35. fugisque *omnes fere codd.*: furisque L, *Blandin. vetustiss.*, *alii perpauci, quos secutus est Dillenburgerus.* 36. Milvius *admodum pauci, in his l, probante Peerlkampo.* 42. ipse *aliquot codd.*, *veluti* $g\sigma l\beta^2\psi^2$L*pr.* 45. Chrysippi *pro* Crispini *l cum paucis.* 48. incendit *pauci, ut* Lg, *Parisinus* 8218.

Romanoque habitu, prodis ex iudice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna,
Non es quod simulas? Metuens induceris atque
Altercante libidinibus tremis ossa pavore.
Quid refert, uri virgis ferroque necari
Auctoratus eas an turpi clausus in arca,
Quo te demisit peccati conscia erilis,
Contractum genibus tangas caput? Estne marito
Matronae peccantis in ambo iusta potestas?
In corruptorem vel iustior. Illa tamen se
Non habitu mutatve loco peccatve superne.
Cum te formidet mulier neque credat amanti,
Ibis sub furcam prudens dominoque furenti
Committes rem omnem et vitam et cum corpore [famam.
Evasti. Credo, metues doctusque cavebis;
Quaeres, quando iterum paveas iterumque perire
Possis, o totiens servus! Quae belua ruptis,
Cum semel effugit, reddit se prava catenis?
'Non sum moechus' ais. Neque ego, hercule, fur, [ubi vasa

---

55. lacerna *plerique codd.*: lucerna γ *pr.* *l pr.* *cum paucis.* 57. Alternante *admodum pauci, veluti* g *et Paris.* 8213. 60. dimisit φψλβσ *alii.* 61. Contractum ut λlgψ[2] *omnes fere Cruquiani.* 62. ambos λlσL *alii.* 63-65. *Hos versus Horatii ingenio indignos esse suspicatus est Kirchnerus: alii autem, ut Holderus et Luc. Muellerus, versum* 65 *cum superiore ita coniunxerunt, ut a v.* 66 *omnino distraheretur, quod improbavit Meinekius.* 64. peccatque φψλLβ *corr.* 68. metuens γLgσ *alii. Ceterum* Evasti? metues, credo, doctusque *edidit Bentleius*: Evasti? credo metues, doctusque *Kirchnerus.* 72. ait g *cum paucis.*

Praetereo sapiens argentea. Tolle periclum:
Iam vaga prosiliet frenis natura remotis.
Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
Tot tantisque minor, quem ter vindicta quaterque
Imposita haud umquam misera formidine privet?
Adde super, dictis quod non levius valeat: nam,
Sive vicarius est, qui servo paret, uti mos
Vester ait, seu conservus, tibi quid sum ego? [Nempe
Tu, mihi qui imperitas, alii servis miser atque
Duceris ut nervis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus,
Quem neque pauperies neque mors neque vincula [terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, et in se ipso totus, teres atque rotundus,
Externi nequid valeat per leve morari,

---

77. privat *pauci cum* β. 78. supra φψλ *alii non multi; quapropter* Adde supra dictis, quod e. q. s. *complures ediderunt ante Bentleium, qui, aliquot codicum auctoritate fretus*, Adde super, dictis quod *legit et distinxit*: Adde super dictis, quod *distinxerunt Kirchnerus, Dillenburgerus, Hirschfelderus, alii pauci.* 81. aliis γgφψλlσ^{2}L *corr.* β *corr., alii, probantibus Bentleio, Fritzschio, Luc. Muellero, aliis.* 82. lignum *codd.*: signum *ex coniectura reposuit Douza pater, recepit Marcilius, edidit et defendit Bentleius.* 83. sibique *plerique codd. et omnes fere post Lambinum et ante Bentleium editt., adprobantibus Dillenburgero, Holdero, Fritzschio*: sibi qui *cum nonnullis codd. et veteribus editt. legit Bentleius, probavit Kellerus.* 86. in se ipso totus; teres *distinxit Bentleius: alii, in his Doederlinus, Holderus, Fritzschius,* totus *et* teres, *deleto distinctionis signo, inter se arte iunxerunt.*

In quem manca ruit semper fortuna. Potesne
Ex his ut proprium quid noscere? Quinque talenta
Poscit te mulier, vexat foribusque repulsum
Perfundit gelida, rursus vocat. Eripe turpi
Colla iugo, 'liber, liber sum' dic age! Non quis:
Urget enim dominus mentem non lenis et acris
Subiectat lasso stimulos versatque negantem.
Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella,
Qui peccas minus atque ego, cum Fulvi Rutubaeque
Aut Pacideiani contento poplite miror
Proelia rubrica picta aut carbone, velut si
Re vera pugnent, feriant vitentque moventes
Arma viri? Nequam et cessator Davus: at ipse
Subtilis veterum iudex et callidus audis.
Nil ego, si ducor libo fumante: tibi ingens
Virtus atque animus cenis responsat opimis?
Obsequium ventris mihi perniciosius est cur?
Tergo plector enim. Qui tu impunitior illa,
Quae parvo sumi nequeunt, obsonia captas?
Nempe inamarescunt epulae sine fine petitae
Inlusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat strigili? qui praedia vendit,
Nil servile gulae parens habet? Adde quod idem
Non horam tecum esse potes, non otia recte

---

88. potestne *nonnulli, velut* φψλlγ. 97. Placideiani γLλlβ *alii, receperunt Bentleius, Ritterus, Doederlinus.* 100. et *omiserunt* φψλl *alii pauci.* 105. Qui *maior pars codd.*: Quid γλ *cum paucis.* 106. cum obsonia *quod complures editt. praebuerant, perpauci vero exhibent codd., recte damnavit et reiecit Bentleius.*

Ponere, teque ipsum vitas fugitivus et erro,
Iam vino quaerens, iam somno fallere curam;
Frustra: nam comes atra premit sequiturque fugacem.'
Unde mihi lapidem? 'Quorsum est opus?' Unde sagittas?
'Aut insanit homo aut versus facit.' Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

VIII

Ut Nasidieni iuvit te cena beati?
Nam mihi quaerenti convivam dictus here illic
De medio potare die. 'Sic, ut mihi numquam
In vita fuerit melius.' Da, si grave non est,
Quae prima iratum ventrem placaverit esca.
'In primis Lucanus aper: leni fuit Austro
Captus, ut aiebat cenae pater: acria circum
Rapula, lactucae, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum, siser, allec, faecula Coa.
His ubi sublatis puer alte cinctus acernam

II, 8. — 2. convivam quaerenti, *auctore Prisciano, Bentleius.* — here *omnes fere codd.*: heri *admodum pauci, ut* σ *pr., Paris.* 8213 *pr.* 4. Da *habent* φψλβ^{2} *alii pauci, probaverunt Bentleius, Kirchnerus, Fritzschius, Holderus in edit. min., Luc. Muellerus, Sabbadinius*: Dic *plerique codd.* 5. placaverit gφψλβ *alii*: pacaverit *ceteri, suffragante Fritzschio.* 7, 8. acria circum, Rapula *distinxit Doederlinus.* 9. hallec L *cum perpaucis.* 10. ut *pro* ubi *nonnulli, veluti* φψλ, *Priscianus.*

Gausape purpureo mensam pertersit et alter
Sublegit quodcumque iaceret inutile quodque
Posset cenantis offendere, ut Attica virgo
Cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes
Caecuba vina ferens, Alcon Chium maris expers.
Hic erus « Albanum, Maecenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat, habemus utrumque. »
Divitias miseras! Sed quis cenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.
'Summus ego, et prope me Viscus Thurinus, et
Si memini, Varius; cum Servilio Balatrone [infra,
Vibidius, quos Maecenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
Ridiculus totas semel absorbere placentas:
Nomentanus ad hoc, qui, siquid forte lateret,
Indice monstraret digito; nam cetera turba,
Nos, inquam, cenamus avis, conchylia, piscis,
Longe dissimilem noto celantia sucum;
Ut vel continuo patuit, cum passeris atque
Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.

11. d' tersit g. 20. pro mè *admodum pauci, ut* β *et Blandin. vetustiss.* 21. Balathrone γφψλ*l alii.* 22. quas gσ, *Paris.* 8218, *alii pauci, quibus obtemperaverunt Kirchnerus, Ritterus, Luc. Muellerus.* — adduxerit *Monacensis* 14682 (*pars vetustior*). 24. semel gLφψl^1β, *unus Blandin., alii*: simul *aliquot codd., receperunt Kirchnerus, Ritterus, Dillenburgerus, alii multi; edidit etiam Bentleius, qui tamen illud* semel *non improbandum esse iudicavit.* — obsorbere λβ, *duo Blandinii, alii perpauci.* 29. passeris atque *omnes paene codd.*: passeris assi, et *ex perpaucis Lambini codd. Bentleius.* 30. porrexerit *quod maior pars codd. exhibet, defendit Kellerus in Epileg.*, p. 588, *sed* porrexerat, *alios codd. secutus* (*ut* aσ), *edidit cum Haeussnero.*

Post hoc me docuit melimela rubere minorem
Ad lunam delecta. Quid hoc intersit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius Balatroni
« Nos nisi damnose bibimus, moriemur inulti »
Et calices poscit maiores. Vertere pallor
Tum parochi faciem nil sic metuentis ut acris
Potores, vel quod maledicunt liberius vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, secutis omnibus: imi
Convivae lecti nihilum nocuere lagoenis.
Adfertur squillas inter murena natantis
In patina porrecta. Sub hoc erus « haec gravida » [inquit
« Capta est, deterior post partum carne futura.
His mixtum ius est: oleo, quod prima Venafri
Pressit cella, garo de sucis piscis Hiberi,
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur (cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud), pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam.
Erucas viridis, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere; inlutos Curtillus echinos,
Ut melius muria quod testa marina remittat. »

---

34. moriamur $\sigma^2\psi^2$ *cum aliis paucis.* 39. Alifanis *perpauci, in his* λ. 40. imis *complures, velut* Lσβφψλl. 41. lagoenis $\gamma L\psi^2$ *alii pauci*: lagenis *plerique.* 52. inlutos *omnes prope codd., in his Blandinii*: inlotos *vel* illotos *admodum pauci, probantibus Bentleio, Luc. Muellero, Sabbadinio.* 53. quam *pro* quod *ex paucis codd. Bentleius*; *idem* remittit *edidit, quod habent* σg *omnes denique codd. Cruquiani, adprobante Dillenburgero.*

Interea suspensa gravis aulaea ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos maius veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur: Rufus posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere. Quis esset
Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret? «heu! Fortuna, quis est crudelior in nos
Te deus? Ut semper gaudes inludere rebus
Humanis!» Varius mappa compescere risum
Vix poterat. Balatro suspendens omnia naso
«Haec est condicio vivendi» aiebat, «eoque
Responsura tuo numquam est par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum, ne panis adustus,
Ne male conditum ius apponatur, ut omnes
Praecincti recte pueri comptique ministrent?
Adde hos praeterea casus, aulaea ruant si,
Ut modo, si patinam pede lapsus frangat agaso.
Sed convivatoris uti ducis ingenium res
Adversae nudare solent, celare secundae.»
Nasidienus ad haec: «tibi di, quaecumque preceris,
Commoda dent: ita vir bonus es convivaque comis.»
Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres
Stridere secreta divisos aure susurros.'
Nullos his mallem ludos spectasse: sed illa
Redde, age, quae deinceps risisti. 'Vibidius dum

70. pueri recte gL *cum paucis.* 75. preceris φψλLβ *alii:* precaris, *quod est in multis codd., praetulerunt Holderus et Fritzschius, improbante Kellero.*


Quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagoena,
Quod sibi poscenti non dentur pocula, dumque
Ridetur fictis rerum Balatrone secundo,
Nasidiene, redis mutatae frontis, ut arte
Emendaturus fortunam. Deinde secuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis sparsi sale multo, non sine farre,
Pinguibus et ficis pastum iecur anseris albi,
Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
Quam si cum lumbis quis edit; tum pectore adusto
Vidimus et merulas poni et sine clune palumbes,
Suavis res, si non causas narraret earum et
Naturas dominus: quem nos sic fugimus ulti,
Ut nihil omnino gustaremus, velut illis
Canidia adflasset peior serpentibus Afris.'

---

82. dentur gφψλLσ[2] *alii*: dantur *ceteri, defensoribus Kirchnero, Rittero, Doederlino, Dillenburgero, Holdero, Kellero.* 88. albi *omnes paene codd.*: albae *Blandinii vetustissimi auctoritate moti anteposuerunt Kirchnerus, Ritterus, alii multi, adversantibus Holdero et Kellero*: albe *exhibet* g. 90. edit *omnes fere codd.*: edat *perpauci cum Prisciano.* 94. veluti si *pro eo quod est* velut illis *ex coniectura Bentleius; eandem vero lectionem praebet cod. Montepessulanus.* 95. Afris *aliquot codd., in his* γg: Atris *ex multis codd. Bentleius.*

TRICLINII FORMA

AD VV. 20-23 ILLVSTRANDOS DESCRIPTA



Q. HORATI FLACCI

EPISTVLARVM

LIBER PRIMVS

I

PRIMA dicte mihi, summa dicende Camena,
Spectatum satis et donatum iam rude quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo?
Non eadem est aetas, non mens. Veianius armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro,
Ne populum extrema totiens exoret harena.
Est mihi purgatam crebro qui personet aurem:
'Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus et ilia ducat.'
Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono;
Quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis
[in hoc sum;
Condo et compono quae mox depromere possim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo Lare tuter:
Nullius addictus iurare in verba magistri,

I, 1. — 3. inducere ludo *admodum pauci, in his* δ. 6. exoret AaRγgπLσβ *alii*: exornet φψλιδd *alii pauci*. 14. adductus *aliquot codd.*, *ut* AaRγλ^{1}.

Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.
Nunc agilis fio et mersor civilibus undis,
Virtutis verae custos rigidusque satelles;
Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor,
Et mihi res, non me rebus subiungere conor.
Ut nox longa quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus, ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem
Consiliumque morantur agendi naviter id quod
Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.
Restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis.
Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi;
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosa corpus nolis prohibere cheragra.
Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritia miseroque cupidine pectus:

---

16. mersor *omnes paene codd.*: versor *unus Hochederi, praeterea Aldus.* 19. subiungere *omnes fere codd., in his Cruquiani*: supponere *aut* submittere *habent perpauci.* 21. Lenta *pro eo quod est* Longa *ex uno cod., quem suspectissimum appellat Holderus, protulit Barthius, commendavit atque edidit Bentleius.* 28. oculos λ *pr. cum perpaucis, receperunt Lambinus et Bentleius, qui tamen vulgatam lectionem non omnino damnavit.* 30. desperas *perpauci, in his* g. — Glyconis *codd.*: „ *Alii* Milonis *legunt, illius Crotoniatae, qui apud Olympia in agone interfectum taurum suis umeris dicitur sustulisse*„ (*Pseudo-Acron, ed. Hauthal*). 31. nolis corpus g. — cheragra AaRπ*pr. alii pauci*: chiragra *vel* chyragra *ceteri.* 32. quadam Aaφψσ[1], *Blandin. vetustiss., alii*: quodam Bγδdλlπ Lg, *ceteri Blandinii, alii multi*: quoddam *editiones veteres, paucis suffragantibus codd.*

Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes: sunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.
Virtus est vitium fugere et sapientia prima
Stultitia caruisse. Vides, quae maxima credis
Esse mala, exiguum censum turpemque repulsam,
Quanto devites animi capitisque labore;
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignis:
Ne cures ea, quae stulte miraris et optas,
Discere et audire et meliori credere non vis?
Quis circum pagos et circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
Cui sit condicio dulcis sine pulvere palmae?
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
'O cives, cives, quaerenda pecunia primum est;
Virtus post nummos.' Haec Ianus summus ab imo
Prodocet, haec recinunt iuvenes dictata senesque
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.

43, 44. laborem *pro* repulsam *exhibent* Rπδ1 *cum aliis paucis; iidem rursus in v.* 44 repulsam *pro* labore *reposuerunt.* 48. discere Rφψλlδdπ *alii.* 52. Vilius est auro argentum *ex cod. Collegii Trinitatis Bentleius, adversantibus omnibus prope codd.: nonnulli* Vilius est argentum auro *praebent.* 55. Perdocet *admodum pauci*: Praedocet *vel* Predocet *perpauci, in his* σ. 56. *Totum versum ex Serm.* I, 6, 74 *huc perperam ab ignoto quodam grammatico aut librario translatum esse multi arbitrati sunt, repugnantibus Holdero, Vahleno, Meweesio, aliis.*

Est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque,
Sed quadringentis sex septem milia desunt:
Plebs eris. At pueri ludentes 'rex eris' aiunt,
'Si recte facies.' Hic murus aeneus esto:
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex an puerorum est
Nenia, quae regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis et decantata Camillis?
Isne tibi melius suadet, qui rem facias, rem,
Si possis, recte, si non, quocumque modo rem,
Ut propius spectes lacrimosa poemata Pupi,
An qui Fortunae te responsare superbae
Liberum et erectum praesens hortatur et aptat?
Quodsi me populus Romanus forte roget, cur
Non ut porticibus sic iudiciis fruar isdem,
Nec sequar aut fugiam quae diligit ipse vel odit,
Olim quod vulpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: 'quia me vestigia terrent,
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.'
Belua multorum es capitum. Nam quid sequar [aut quem?

57, 58. *Ordinem servavi quem exhibent a corr. g alii pauci: v. 58 ante v. 57 praebent plerique codd., probante Rittero.* — est lingua *ex nonnullis codd. edidit Bentleius; receperat etiam Holderus in edit. mai., sed in minore* et lingua *praetulit, quod habent omnes fere codd., adprobantibus Dillenburgero et Kellero.*.— Sed *plerique codd.*: Si σ² *cum paucis.* — desint φψλlLπ *p. ras., alii pauci, commendavit et scripsit Bentleius.* 62. puerorum, *omisso* est, *Bruxellensis, Reginensis, alii pauci.* 69. optat *pro* aptat *pauci, in his* gl *pr.* 71. isdem *maior pars codd.*: idem γπ *pr. alii.* 72. ac *pro* aut φψλl *Paris.* 8218: et Rπδd. — quae *plerique codd.*: quem *nonnulli, veluti* Rπ.

Pars hominum gestit conducere publica; sunt qui
Crustis et pomis viduas venentur avaras
Excipiantque senes, quos in vivaria mittant;
Multis occulto crescit res faenore. Verum
Esto aliis alios rebus studiisque teneri:
Idem eadem possunt horam durare probantes?
'Nullus in orbe sinus Bais praelucet amoenis'
Si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
Festinantis eri; cui si vitiosa libido
Fecerit auspicium, 'cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri.' Lectus genialis in aula est:
Nil ait esse prius, melius nil caelibe vita;
Si non est, iurat bene solis esse maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
Quid pauper? Ride: mutat cenacula, lectos,
Balnea, tonsores, conducto navigio aeque
Nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis.
Si curatus inaequali tonsore capillos
Occurri, rides; si forte subucula pexae
Trita subest tunicae, vel si toga dissidet impar,
Rides: quid, mea cum pugnat sententia secum,
Quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit,
Aestuat et vitae disconvenit ordine toto,

---

78. Frustis *uno fere consensu codd., receperunt Holderus et Kellerus*: Crustis *perpauci, ut* σ *et Petropolitanus, quos plerique critici sequuntur.* 91. Ride *codd.*: viden', ut *correxit Bentleius.* 94. curtatus, *quod admodum pauci codd. praebent, reiecit Bentleius atque ad omnium prope exemplarium fidem* curatus *edidit.* 95. Occurri *omnes paene codd.*: Occurro *ex paucis suis Bentleius*: Occurrit $Aa^2\beta$. 97. mecum *pro* secum Rgπδd *alii.*

Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis?
Insanire putas sollemnia me neque rides
Nec medici credis nec curatoris egere
A praetore dati, rerum tutela mearum
Cum sis et prave sectum stomacheris ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici.
Ad summam: sapiens uno minor est Iove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

II

Troiani belli scriptorem, Maxime Lolli,
Dum tu declamas Romae, Praeneste relegi:
Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid
Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit. [non,
Cur ita crediderim, nisi quid te distinet, audi.
Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia barbariae lento collisa duello,

---

101. putas Aaγgl$^{\delta}$dL *alii*: putat *nonnulli, velut* φψλRπβ. 105. suspicientis *ex Nic. Heinsii coniectura Bentleius.*

I, 2. — 1. Maxime *non* maxime *legendum esse demonstravit Meinekius, suffragante cod. Parisino* 8213 *in quo est inscriptio* AD LOLLIVM MAXIMVM; *quapropter vulgatae lectioni pauci iam favent, ut Luc. Muellerus et Sabbadinius.* 4. Planius AaγgLσ *alii*: Plenius Rφψλlπβ², *Blandinii, alii.* 5. distinet (*vel* distenet, *etiam* destinet) *habent plerique codd., probantibus Rittero, Holdero, Kellero, Kiesslingio, Meinesio*: detinet *ex aliquot codd., ut* βσg, *receperunt, Bentleium imitati, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Kruegerus, Hirschfelderus, alii.*

Stultorum regum et populorum continet aestus.
Antenor censet belli praecidere causam.
Quid Paris? Ut salvus regnet vivatque beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere litis
Inter Peliden festinat et inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, scelere atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur et extra.
Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulixem,
Qui domitor Troiae multorum providus urbes
Et mores hominum inspexit, latumque per aequor,
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces et Circae pocula nosti:
Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis et excors,
Vixisset canis immundus vel amica luto sus.
Nos numerus sumus et fruges consumere nati,

---

8. aestum *complures codd., in his* RφψlπL. 9-11 *Lectioni et distinctioni, quas exhibui, boni codd. suffragantur, adprobantibus Rittero, Holdero, Mewesio, aliis multis. Contra Bentleius, adsentientibus Luc. Muellero et Kiesslingio, sic locum restituendum et interpungendum esse censuit* caussam: Quod Paris, ut salvus regnet vivatque beatus, Cogi posse negat. – Quid Paris *praebent* AaRγgπLσβ *alii*: Quod Paris *nonnulli, velut* φψλlδ. 12. Pelidem... Atridem Rg *cum paucis.* 17. Rursum *Bentleius, sic Reginensem a prima manu habuisse affirmans, quod falso dictum esse animadvertit Holderus.* 18. Ulixen *maior pars codd.* 25. Sub Diva *Reginensis, oppositis ceteris.*

Sponsi Penelopae nebulones Alcinoique
In cute curanda plus aequo operata iuventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies et
Ad strepitum citharae cessatum ducere curam.
Ut iugulent hominem, surgunt de nocte latrones:
Ut te ipsum serves, non expergisceris? Atqui,
Si noles sanus, curres hydropicus; et ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis et rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quae laedunt oculum, festinas demere; siquid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui coepit, habet: sapere aude:
Incipe. Vivendi qui recte prorogat horam,
Rusticus exspectat, dum defluat amnis: at ille
Labitur et labetur in omne volubilis aevum.

---

28. Penelopae, nebulones *distinxerunt Bentleius, Ritterus, alii.* 31. cessatum ducere curam *sic ad multorum codd. fidem legendum esse contenderunt Ritterus, Dillenburgerus, Holderus, Kellerus, Hirschfelderus, alii*: somnum *pro eo quod est* curam, *haud dubie ex glossa exortum, pauci codd. exhibent, ut g pr. et Blandinii, quorum auctoritate nixus et levi, quam vocat, mutatione adiutus* cessantem ducere Somnum *edidit et defendit Bentleius, probante Luc. Muellero*: cessatum ducere somnum *scripserunt Kiesslingius et Mewesius*: cessantem ducere curam *Sabbadinius, qui illud* cessantem *ad* iuventus (*v.* 29) *referri posse existimavit.* 32. hominem *maior pars codd.*: homines A*corr.* γσ *alii pauci.* 33. atque *complures, veluti* RφψλlδπL, *Blandin. vetustiss.* 34. nolis gλl *cum paucis.* — cures *pro* curres φψλlδ^1β *alii.* 38. oculum *plerique codd.*: oculos Aaγgβ$\sigma^1\delta^2$, *duo Blandinii.* 41. Vivendi qui recte *et plerique codd. habent et ediderunt Kiesslingius, Sabbadinius, alii*: Qui recte vivendi gσ^2 *cum paucis*: Vivendi recte qui *nonnulli.*

Quaeritur argentum puerisque beata creandis
Uxor, et incultae pacantur vomere silvae.
Quod satis est cui contingit, nil amplius optet.
Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
Aegroto domini deduxit corpore febris,
Non animo curas. Valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit aut metuit, iuvat illum sic domus et res,
Ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram,
Auriculas citharae collecta sorde dolentis.
Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit.
Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.
Semper avarus eget: certum voto pete finem.
Invidus alterius macrescit rebus opimis;
Invidia Siculi non invenere tyranni
Maius tormentum. Qui non moderabitur irae,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
Dum poenas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est: animum rege; qui nisi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.
Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam qua monstret eques: venaticus, ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,

45. placantur *maluit Wakefieldius, refragantibus codd.* 46. contigit, is nihil *per lituram Blandinius vetustior.* — nihil AaγRδπL *alii.* 52. podagrum, *quod in paucis codd. est, ut in* R², *maluit Bentleius, probante Luc. Muellero.* 57. marcescit *admodum pauci, in his* σ¹. 59. iram φψλlδ¹π¹ *alii.* 63. catenis gσ² *cum aliis paucis.* 65. quam *omnes prope codd.*: qua *Bruxellensis p. ras., Petrensis, alii pauci.* — monstrat σg, *Bruxellensis cum paucis.* 66. laceravit *perpauci deterioris notae codd.*

Militat in silvis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu. Quodsi cessas aut strenuus anteis,
Nec tardum opperior nec praecedentibus insto.

III

Iuli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius Augusti privignus, scire laboro.
Thracane vos Hebrusque nivali compede vinctus,
An freta vicinas inter currentia turris,
An pingues Asiae campi collesque morantur?
Quid studiosa cohors operum struit? hoc quoque curo.
Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis et paces longum diffundit in aevum?
Quid Titius, Romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus et rivos ausus apertos.
Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet auspice Musa,
An tragica desaevit et ampullatur in arte?
Quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus,

---

67. adhibe *pauci, ut* Rgδβ.

I, 3. — 4. turris *vel* turres *maior pars codd., unde* terris *et* terres, *quae in nonnullis codd. exstant, fluxisse videntur:* terras π, *Blandin. vetustiss., alii perpauci, quos hoc loco pluris fecit Bentleius.* 8. pacem *admodum pauci.* 10. haustus *codd.*: „Num haustu?" *Porphyrion.*

Privatas ut quaerat opes et tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo,
Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes?
Quae circumvolitas agilis thyma? Non tibi parvum
Ingenium, non incultum est et turpiter hirtum:
Seu linguam causis acuis seu civica iura
Respondere paras seu condis amabile carmen,
Prima feres hederae victricis praemia. Quodsi
Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quo te caelestis sapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
Si patriae volumus, si nobis vivere cari.
Debes hoc etiam rescribere, sit tibi curae,
Quantae conveniat, Munatius. An male sarta
Gratia nequicquam coit et rescinditur? ac vos
Seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat
Indomita cervice feros? Ubicumque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere foedus,
Pascitur in vestrum reditum votiva iuvenca.

---

19. cornicula *omnes ad unum codd.*: vulpecula *Servius.* 22. nec *pro* et *aliquot codd., ut* φψλlL, *quod iure improbavit Bentleius.* 30. sit *omnes fere codd.*: si *habent* $A^2\delta^1$ *alii perpauci, ex coniectura autem reposuit Bentleius illam particulam pro* an *accipiens, quod probavit Ritterus.* 32. at *pro eo quod est* ac *admodum pauci, in his Paris.* 8218, *praeterea nonnullae editt. ante Bentleium.* 33. Seu... seu *perpauci, veluti* $\sigma\gamma^2$ *superscr., Gronovianus, Zulichemianus*: Heu.... heu *ceteri, in his omnes Blandinii.* — veri inscitia *Horatium scripsisse suspicatus est Bentleius, sed codd. lectionem servavit.*

IIII

Albi, nostrorum sermonum candide iudex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat,
An tacitum silvas inter reptare salubris,
Curantem quicquid dignum sapiente bonoque est?
Non tu corpus eras sine pectore. Di tibi formam,
Di tibi divitias dederunt artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula maius alumno,
Qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde
Et mundus victus non deficiente crumina?
Inter spem curamque, timores inter et iras
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superveniet quae non sperabitur hora.
Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

I, 4. — 5. bonumque Rγπ *unus Blandin.* 7. dederant *nonnulli, ut* Lgσ. 9. Qui Rψλlδβπ *alii*: Quin AaLγgφ: Quam *habent pauci, veluti* σ *et Paris.* 8213: Quam sapere et fari ut possit, quae sentiat, utque *Lambinus.* 11. Et mundus victus *plerique codd.*: Et modus et victus φψλlδ1 *alii pauci, qui Bentleio ansam dederunt ad emendandum atque edendum* Et domus, et victus. — crumina *maior pars codd.*: crumena σgβλlψ *corr. alii pauci.* 12. tumores inter et iram *exhibet cod. Monacensis* 14685. 16. voles, Epicuri *Ego Bentleio, Kruegero, Kiesslingio, Sabbadinio assentior qui ita distinxerunt: alii interpunctione nihil opus esse arbitrantur.*

V

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis
Nec modica cenare times holus omne patella,
Supremo te sole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes iterum Tauro diffusa palustris
Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.
Si melius quid habes, arcesse vel imperium fer.
Iamdudum splendet focus et tibi munda supellex.
Mitte levis spes et certamina divitiarum
Et Moschi causam: cras nato Caesare festus
Dat veniam somnumque dies; impune licebit
Aestivam sermone benigno tendere noctem.
Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?
Parcus ob heredis curam nimiumque severus
Adsidet insano: potare et spargere flores
Incipiam patiarque vel inconsultus haberi.
Quid non ebrietas dissignat? operta recludit,
Spes iubet esse ratas, ad proelia trudit inertem,

I, 5. — 1. Archaicis *cum perpaucis codd. interpres Cruquianus: veram lectionem, quam uno fere consensu codd. proferunt, restituit Bentleius.* 4. palustri *admodum pauci, in his* A[1]a[1]. 5. Menturnas aR[1]γ *alii pauci.* 6. Si *codd.*: Sin *Ritteri et aliorum editt.* — accerse *praebent pauci, ut l*[2], *Paris.* 8213. 11. Aestivam *omnes prope codd.*: Festivam *ex perpaucis deterioribus protulit Meinekius.* 12. fortuna *cum editt. priscis exhibent aliquot codd.*: fortunam *quod habent* AagφψλlδπL *alii, reposuit Bentleius.* 16. designat *nonnulli, veluti* aLφgσ. 17. inermem A[a]γgλlδ[2]βσ[2] *alii pauci.*

Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.
Fecundi calices quem non fecere disertum,
Contracta quem non in paupertate solutum?
Haec ego procurare et idoneus imperor et non
Invitus, ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget naris, ne non et cantharus et lanx
Ostendat tibi te, ne fidos inter amicos
Sit qui dicta foras eliminet, ut coeat par
Iungaturque pari. Butram tibi Septiciumque
Et nisi cena prior potiorque puella Sabinum
Detinet, adsumam. Locus est et pluribus umbris:
Sed nimis arta premunt olidae convivia caprae.
Tu quotus esse velis rescribe et rebus omissis
Atria servantem postico falle clientem.

VI

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque, quae possit facere et servare beatum.
Hunc solem et stellas et decedentia certis
Tempora momentis sunt qui formidine nulla

---

19. Facundi Rδπ *alii pauci.* 23. nec non *pauci, in his* βg. 25. et *pro* ut φψλlL. 26. *Cum* Brutam *in aliquot codd. exstaret, factum est ut in nonnullas editt. veteres illud* Brutum *irreperet, quod iure explosit et eiecit Bentleius.* 27. cena *omis.* AaR. 28. adsumam *Acorr. cum perpaucis*: ad summam *omnes paene codd.*

I, 6. — 1. properes *pro eo quod est* prope res *multi codd. exhibent, in his quattuor Blandinii, teste Cruquio.*

Imbuti spectent: quid censes munera terrae,
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos,
Ludicra quid, plausus et amici dona Quiritis,
Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?
Qui timet his adversa, fere miratur eodem,
Quo cupiens, pacto; pavor est utrobique molestus,
Improvisa simul species exterret utrumque.
Gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem,
Si, quicquid vidit melius peiusve sua spe,
Defixis oculis animoque et corpore torpet?
Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.

5-7. *Hos versus alii aliter distinxerunt; qua de re imprimis legenda sunt Holderi adnotatio in edit. mai. et Kelleri Epilegomena ad h. l. Ego vero Dillenburgerum et Mewesium secutus sum. Eorum enim opiniorem repudio, qui* ludicra *cum* plausus *coniungunt, ut* plausus *pro genetivo accipiatur; sive totum versum* 7 *explanare vis, quasi verborum ordo sit* quid ludicra plausus et dona amici Quiritis; *sive Sabbadinio obsequeris, qui* plausus *et* Quiritis *ita apta et colligata esse iudicavit, ut ordo esset* ludicra (= inania) dona plausus et Quiritis. *Non imitandi quoque sunt qui,* ludicra *et* maris *inter se iungi copularique posse existimantes, veluti si* maris ludicra *res nullius momenti significaret,* Indos Ludicra, quid *distinxerunt. Qui autem, ut Holderus in edit. min., sic interpungunt* terrae?.... Indos? 'Ludicra'. Quid *ut* Ludicra *sit Numicii responsum, ii orationem nimis discerpere recte Mewesio videntur.* 6. Arabas AaRγgπLδ *alii multi:* Arabes φψλlβ. 9. is φψλlδ *alii pauci.* 11. exterret utrumque γgπLφψlδβ *alii*: exterruit utrum A *corr. a Monacensis* 14685: exercet *coniecit Marklandus*: externat *Iacobsius, recepit Luc. Muellerus.* 13. peiusve AaγgφψλlπLβ *alii*: peiusne *pauci, in his* Rδ: peiusque *Vossianus sive Leidensis* 21. 16. petet AaγgLβ: petit σ.

I nunc, argentum et marmor vetus aeraque et artes
Suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores;
Gaude quod spectant oculi te mille loquentem;
Navus mane forum et vespertinus pete tectum,
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutus et (indignum, quod sit peioribus ortus)
Hic tibi sit potius quam tu mirabilis illi.
Quicquid sub terra est, in apricum proferet aetas;
Defodiet condetque nitentia. Cum bene notum
Porticus Agrippae et via te conspexerit Appi,
Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.
Si latus aut renes morbo temptantur acuto,
Quaere fugam morbi. Vis recte vivere (quis non?):
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis
Hoc age deliciis. Virtutem verba putas et
Lucum ligna: cave ne portus occupet alter,
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas;
Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro et
Tertia succedant, et quae pars quadrat acervum.

---

18. Suscipe *nonnulli, ut* $A^1\sigma^1\pi$*pr.* 19. spectant *omnes prope codd.*: spectent *Monac.* 14685 *cum aliis perpaucis.* 20. Gnavus *pauci, veluti* λ^2L *Paris.* 8213. 22. *Pro eo quod est* Mutus et *nonnullae editiones ante Bentleium* Mucius *exhibuerunt, repugnantibus omnibus bonae notae codd.*: Mutus et (indignum) qui sit *coniecit sed non edidit Bentleius.* 24. proferat *maior pars codd., sed* proferet *habent* $A^2\sigma^2$g2l^2 *alii pauci*: profert g^1: profer! at *coniecit Praedicowius.* 26. et *omiserunt* AaγgRπLβ. 31. putes *pauci, in his* Apr.δ^1 *tres Blandinii, receperunt Bentleius, Hirschfelderus, alii.* — ut *pro* et *ex paucis recentioribus codd. editt. ante Bentleium.* 34. et *omis.* Aa$\gamma\sigma$lβ2 *alii pauci.* 35. quadrat *maior pars codd., probantibus Holdero, Kellero, Mewesio*: quadret *quod est in* $\varphi\psi\lambda$lδ *aliis paucis, maluerunt Bentleius, Luc. Muellerus, Dillenburgerus, Kruegerus, Kiesslingius; reposuerat etiam Holderus in edit. mai.*

Scilicet uxorem cum dote fidemque et amicos
Et genus et formam regina Pecunia donat,
Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.
Mancipiis locuples eget aeris Cappadocum rex:
Ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, ut aiunt,
Si posset centum scaenae praebere rogatus,
'Qui possum tot?' ait; 'tamen et quaeram, et, quot habebo,
Mittam': post paulo scribit sibi milia quinque
Esse domi chlamydum; partem vel tolleret omnis.
Exilis domus est, ubi non et multa supersunt
Et dominum fallunt et prosunt furibus. Ergo
Si res sola potest facere et servare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Si fortunatum species et gratia praestat,
Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum
Qui fodicet latus et cogat trans pondera dextram
Porrigere: 'hic multum in Fabia valet, ille Velina;
Cui libet hic fasces dabit, eripietque curule
Cui volet importunus ebur.' 'Frater' 'Pater' adde:
Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.

---

39. Mancipiis *plerique codd.*: Mancupiis *quod Dillenburgero, Holdero, Kellero, Haeussnero probatum est, praebent* φψλ*l*δ*pr*.π[1]. 41. possit π[1] *cum perpaucis.* 42. quod *pauci, in his* Rgψ*pr.* 48. primum *aliquot codd., veluti* Rγφψλ*l*δπ. 50. laevum *pauci, ut Monac.* 14685, *duo Pulmanni, duo Feae, quorum unus ab al. m., duo Cruquiani, probavit Bentleius*: saevum *maior pars codd., adprobante Baxtero*: servum *ex Britannici edit. Ven. an.* 1520 *sumpsit Ritterus*: scaevum *coniecit Pithoeus.* 51. fodiet *pro eo quod est* fodicet σβ *cum perpaucis*: fodiat λ*corr.*β[2] *Paris.* 8213 *alii pauci.* 53. is *pro* hic *admodum pauci, in his* δ, *edidit et defendit Bentleius*: his R[1]. 55. adapta φψλ*l alii pauci.*

Si bene qui cenat bene vivit, lucet, eamus
Quo ducit gula, piscemur, venemur, ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos,
Differtum transire forum populumque iubebat,
Unus ut e multis populo spectante referret
Emptum mulus aprum. Crudi tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti, Caerite cera
Digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulixei,
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
Si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque
Nil est iucundum, vivas in amore iocisque.
Vive, vale. Siquid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

VII

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror. Atqui,

---

57. ducet *Bruxellensis* λ*corr. Paris.* 7976: docet g^1. 58. Gragillus φψλlδL. 59. transferre *pro* transire *unus, ut videtur*, g. – populumque *codd.*: Campumque *Horatium scripsisse contendit Bentleius*: clivumque *maluit Cuninghamus.* 63. Ulixi *habent* aγgσβ^1 *alii pauci*; *sed* Ulixei *a poetae manu profectum esse probatur et plerisque codd. Horat. et Prisciani testimonio* (VI, 18, 92), *quamquam alio loco* (IIII, 5, 29) *omnes prope Prisciani codd.* Ulixis *praebent.* 64. patriae RψλlδπL *alii.* 68. si non Rφψλlδ *in ras.* π *alii*: si nil AagLσβ *alii*, *adsentientibus Holdero et Kiesslingio*: si nihil γ. – his *omnes ad unum codd.*: is (= iis) *ex coniectura edidit Sabbadinius.*

I, 7. – 2. atqui γ2δ^2 *Paris.* 8213 *duo Bland. alii pauci*: atque *maior pars codd.*

Si me vivere vis sanum recteque valentem,
Quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
Maecenas, veniam, dum ficus prima calorque
Dissignatorem decorat lictoribus atris,
Dum pueris omnis pater et matercula pallet,
Officiosaque sedulitas et opella forensis
Adducit febris et testamenta resignat.
Quodsi bruma nives Albanis inlinet agris,
Ad mare descendet vates tuus et sibi parcet
Contractusque leget; te, dulcis amice, reviset
Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
Non quo more piris vesci Calaber iubet hospes,
Tu me fecisti locupletem. 'Vescere sodes.'
'Iam satis est.' 'At tu, quantum vis, tolle.' 'Benigne.'
'Non invisa feres pueris munuscula parvis.'
'Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.'
'Ut libet: haec porcis hodie comedenda relinques.'
Prodigus et stultus donat quae spernit et odit:
Haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis.
Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus,
Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis.

---

3. sanum recteque valentem *plerique codd.*: recteque videre valentem δ *Paris.* 8218 λ *corr.* π *corr. alii pauci.* 5. colorque Aa *Blandin. vetustiss. alii perpauci, eamque veram lectionem esse indicavit Cruquius.* 6. Designatorem Aσβγ² *cum paucis.* 9. Adducet *pauci, velut* Rδπ. 19. relinquis φψλ*l*, *opp. ceteris, quorum perpauci habent* relinquens. 20. Prodigus et stultus, donat quae, spernit *distinxit Mitscherlichius.* 21. ingratos *maior pars codd.*: ingrato γ¹δ²βσ *alii pauci*: ingratis φψλ*l*π *corr.* 22. paratum γgσLβ *alii pauci, multae vero editt. ante Bentleium, qui paratus restituit.* 23. qui *pauci, ut* RπL.

Dignum praestabo me etiam pro laude merentis.
Quodsi me noles usquam discedere, reddes
Forte latus, nigros angusta fronte capillos,
Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum et
Inter vina fugam Cinarae maerere protervae.
Forte per angustam tenuis vulpecula rimam
Repserat in cumeram frumenti, pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.
Cui mustella procul 'si vis' ait 'effugere istinc,
Macra cavum repetes artum, quem macra subisti.'
Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno;
Nec somnum plebis laudo satur altilium nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Saepe verecundum laudasti, rexque paterque
Audisti coram, nec verbo parcius absens:
Inspice, si possum donata reponere laetus.
Haud male Telemachus, proles patientis Ulixei:
'Non est aptus equis Ithace locus, ut neque planis
Porrectus spatiis nec multae prodigus herbae:
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.'

---

25. noles Aaσβ *cum paucis*: nolles *ceteri.* 29. vulpecula *omnes codd.*: nitedula *ex coniectura edidit Bentleius, probavit Lachmannus, receperunt Luc. Muellerus, Kiesslingius, alii pauci.* 30. in cameram *admodum pauci, in his* π^1. 31. pectore *pro* corpore *Vincentius Bellouacensis.* 32. mustela *omnes paene codd., opp.* R *a. ras.* λ *a. ras., in quibus est* mustella. 40. patientis *uno fere consensu codd.*: sapientis *cum perpaucis Monacensis* 14685, *adprobante Marklando.* — Ulixei *maior pars codd.*: Ulixi aγgβσδ^2 *alii pauci.* 41. Ithacae *vel* Itacae *plerique codd., veluti* aγδπβσφψλ^{2l}; *sed* Ithace *praebent* R^1g *Monac.* 14685, *suffragante Porphyrionis interpretatione*: Hithace *vel* Itace *exhibent alii pauci.*

Parvum parva decent: mihi iam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet aut imbelle Tarentum.
Strenuus et fortis causisque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit atque foro nimium distare Carinas
Iam grandis natu queritur, conspexit, ut aiunt,
Adrasum quendam vacua tonsoris in umbra
Cultello proprios purgantem leniter unguis.
'Demetri' (puer hic non laeve iussa Philippi
Accipiebat), 'abi, quaere et refer, unde domo, quis,
Cuius fortunae, quo sit patre quove patrono.'
It, redit et narrat, Vulteium nomine Menam,
Praeconem, tenui censu, sine crimine, notum
Et properare loco et cessare et quaerere et uti,
Gaudentem parvisque sodalibus et lare certo
Et ludis et post decisa negotia campo.
'Scitari libet ex ipso quodcumque refers: dic,
Ad cenam veniat.' Non sane credere Mena,
Mirari secum tacitus. Quid multa? 'Benigne'
Respondet. 'Neget ille mihi?' 'Negat improbus et te
Neglegit aut horret.' Vulteium mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello

---

51. purgantem *omnes fere codd.*: resecantem g *Paris.* 8214 *Monac.* 14685 *corr. alii perpauci.* 52. leui *nonnulli, in his* $\phi\psi\lambda l\delta^1\pi^1$: laevus *coniecit Cuninghamus.* 55. Et redit Rg$\phi\psi\lambda\pi$L *alii pauci.* 56. sine crimine natum *e vetusto Ge. Fabricii cod. et altero Henr. Stephani recepit Bentleius.* 57. locum $\phi\psi\lambda l\delta\pi$. 58. certo *omnes paene codd.*: curto *duo Cruquiani, quibus obtemperaverunt Bentleius, Doederlinus, Luc. Muellerus.* 63. Respondit g$\delta\sigma^2$ *cum paucis.* — Negat *pro* Neget R$\phi\psi\lambda l\delta\sigma^2$ *alii, item aliquot ante Bentleium editt.*

Occupat et salvere iubet prior. Ille Philippo
Excusare laborem et mercennaria vincla,
Quod non mane domum venisset, denique quod non
Providisset eum. 'Sic ignovisse putato
Me tibi, si cenas hodie mecum.' 'Ut libet.' 'Ergo
Post nonam venies; nunc i, rem strenuus auge.'
Ut ventum ad cenam est, dicenda tacenda locutus
Tandem dormitum dimittitur. Hic ubi saepe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum,
Mane cliens et iam certus conviva, iubetur
Rura suburbana indictis comes ire Latinis.
Impositus mannis arvum caelumque Sabinum
Non cessat laudare. Videt ridetque Philippus,
Et, sibi dum requiem, dum risus undique quaerit,
Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet uti mercetur agellum.
Mercatur. Ne te longis ambagibus ultra
Quam satis est morer, ex nitido fit rusticus atque
Sulcos et vineta crepat mera, praeparat ulmos,
Immoritur studiis et amore senescit habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellae,
Spem mentita seges, bos est enectus arando,
Offensus damnis media de nocte caballum
Arripit iratusque Philippi tendit ad aedis.
Quem simul aspexit scabrum intonsumque Philippus,

---

70. Hic *plerique codd.*: *omis.* Rφψδπ *cum paucis*: Est λl: Ast *aut* Ergo *perpauci.* 75. etiam *pro* et iam *maior pars codd.*, *in his* ARγgλlLσβ. 82. Nec te RlπL *alii pauci.* 89. Eripit φLπ *p. ras. cum aliis perpaucis.*

'Durus' ait, 'Vultei, nimis attentusque videris
Esse mihi.' 'Pol me miserum, patrone, vocares,
Si velles' inquit 'verum mihi ponere nomen.
Quod te per Genium dextramque deosque Penatis
Obsecro et obtestor, vitae me redde priori.'
Qui semel aspexit, quantum dimissa petitis
Praestent, mature redeat repetatque relicta.
Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

VIII

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano
Musa rogata refer, comiti scribaeque Neronis.
Si quaeret quid agam, dic multa et pulchra minantem
Vivere nec recte nec suaviter; haud quia grando
Contuderit vitis oleamque momorderit aestus,
Nec quia longinquis armentum aegrotet in agris;
Sed quia mente minus validus quam corpore toto
Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum,
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno,
Quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam,

---

93. ponere Aaγgβσ *Blandin. vetustiss. alii*: dicere *plerique codd.* 96. simul *omnes prope codd., adversante Bentleio, qui, veterrimo Cruquii cod. alterique Bersmanni obsecutus*, semel *restituit et defendit.*

I, 8. — 3. quaerit *vel* querit A^1aγgβσL *alii pauci.* 5. oleamque *omnes fere codd.*: oleamve *ex cod. Reginensi a pr. m. Bentleius, item Monac.* 14685 *alii perpauci, probantibus Kruegero, Luc. Muellero, Kiesslingio, Sabbadinio.* 10. arcere *maior pars codd.*: augere *aut* algere R^1: urguere πL *cum paucis.*

Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
Post haec, ut valeat, quo pacto rem gerat et se,
Ut placeat iuveni percontare utque cohorti.
Si dicet 'recte', primum gaudere, subinde
Praeceptum auriculis hoc instillare memento:
'Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.'

VIIII

Septimius, Claudi, nimirum intellegit unus,
Quanti me facias; nam cum rogat et prece cogit,
Scilicet ut tibi se laudare et tradere coner,
Dignum mente domoque legentis honesta Neronis;
Munere cum fungi propioris censet amici,
Quid possim videt ac novit me valdius ipso.
Multa quidem dixi, cur excusatus abirem;
Sed timui, mea ne finxisse minora putarer,
Dissimulator opis propriae, mihi commodus uni.
Sic ego, maioris fugiens opprobria culpae,
Frontis ad urbanae descendi praemia. Quodsi
Depositum laudas ob amici iussa pudorem,
Scribe tui gregis hunc et fortem crede bonumque.

---

12. ventosus *plerique codd.*: venturus φψλlπ, *quattuor Blandinii, tres Bentleii, praeterea Porphyr. ad Serm.* II, 7, 28; *hanc vero lectionem non contemnendam esse duxit Bentleius.*

I, 9. – 6. agnovit *pro* ac novit *plerique codd., in his* Apr.Rφψλlπ L. 8. non *pro* ne φψλa *corr.*

X

Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus
Ruris amatores, hac in re scilicet una
Multum dissimiles, at cetera paene gemelli
Fraternis animis: quicquid negat alter, et alter:
Adnuimus pariter: vetuli notique columbi,
Tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni
Rivos et musco circumlita saxa nemusque.
Quid quaeris? Vivo et regno, simul ista reliqui
Quae vos ad caelum fertis rumore secundo;
Utque sacerdotis fugitivus liba recuso;
Pane egeo iam mellitis potiore placentis.
Vivere naturae si convenienter oportet,
Ponendaeque domo quaerenda est area primum,
Novistine locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura

I, 10. — 3. at cetera *cum paucis Monac.* 14685 *et Blandin. vetustiss., recepit Cruquius, adprobante Bentleio*: ad cetera *maior pars codd.* 5, 6. Adnuimus pariter: vetuli.... columbi, Tu *distinxerunt plerique, suffragantibus omnibus paene codd.*: Annuimus pariter vetuli notique columbi. Tu *interpunxerunt Ritterus, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Kiesslingius, alii*: pariter vetulis notisque columbis, *quod coniectura proposuit Lambinus, in Blandin. vetustiss. fuisse testatur Cruquius.* 9. fertis *plerique codd.*: effertis βσ, *Paris.* 8213, *Blandin. vetustiss., alii pauci, quibus hic primas dederunt Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus, Kiesslingius, Sabbadinius, Mewesius.* 12. sic *pro eo quod est* si *nonnulli, veluti* φψλlπa *corr.* 13. Ponendaque domo *codd. Blandinii, opp. ceteris, probante vero Luc. Muellero, qui tamen ceterorum codd. lectionem retinuit.*

Leniat et rabiem Canis et momenta Leonis,
Cum semel accepit Solem furibundus acutum?
Est ubi divellat somnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quae per pronum trepidat cum murmure [rivum?
Nempe inter varias nutritur silva columnas,
Laudaturque domus, longos quae prospicit agros.
Naturam expelles furca, tamen usque recurret
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.
Non qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum
Certius accipiet damnum propiusve medullis,
Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavere secundae,
Mutatae quatient. Siquid mirabere, pones
Invitus. Fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis frenumque recepit;

---

18. divellat Rφψλlπ$L\sigma^2$ *quattuor Blandin. alii*: depellat Aaγgβσ^1 *Paris.* 8213 *alii pauci* — somnos *omnes prope codd.*: somnum L. 19. lapillis *codd.*: tapetis *suspicatus est Bentleius, vulgatam vero lectionem servavit.* 24. expellas, *quod ex paucis codd. in veteres editt. irrepserat, iure improbavit et reiecit Bentleius*; expelles *enim omnes optimi codd. habent.* 25. fastidia σg *cum paucis*: fastigia *maior pars codd.*: vestigia β^1 *quattuor Bland. alii perpauci.* 28. propiusque *aliquot codd., velut* Aaγ$L\sigma^1g^2$.

Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus atque
Serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.
Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,
Si pede maior erit, subvertet, si minor, uret.
Laetus sorte tua vives sapienter, Aristi,
Nec me dimittes incastigatum, ubi plura
Cogere, quam satis est, ac non cessare videbor.
Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
Tortum digna sequi potius quam ducere funem.
Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae,
Excepto quod non simul esses, cetera laetus.

XI

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos,
Quid concinna Samos, quid Croesi regia Sardis,
Zmyrna quid et Colophon? maiora minorave fama?

---

37. victor violens *omnes fere codd.*: violens victor *admodum pauci, in his Mon.* 14685: violens victo *ex coniectura edidit Bentleius*: victo violens *maluit Sabbadinius*: victo ridens *protulit Hauptius, cui suffragatus est Luc. Muellerus.* 40. vehit, *quod perpauci codd. exhibent, receperunt Bentleius, Luc. Muellerus, Hirschfelderus.* 43. urget *pro* uret *admodum pauci, ut* gσ *Paris.* 8213 *corr.* 45. dimittis Bπ *alii perpauci.*

I, 11. — 3. Zmyrna (*vel* Zmirna) *bona pars codd.*: Smyrna σπψ¹λ¹: Smirna βl *alii pauci.* — minorave *omnes paene codd., in his quattuor Blandinii*: minoraque *Monacensis* 14685 *et Mellicensis*: minorane *Reginensis, receperunt Bentleius, Kruegerus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus, Kiesslingius, Sabbadinius.*

Cunctane prae Campo et Tiberino flumine sordent,
An venit in votum Attalicis ex urbibus una,
An Lebedum laudas odio maris atque viarum?
'Scis, Lebedus quid sit: Gabiis desertior atque
Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem,
Oblitusque meorum obliviscendus et illis
Neptunum procul e terra spectare furentem.'
Sed neque qui Capua Romam petit, imbre lutoque
Aspersus volet in caupona vivere; nec qui
Frigus collegit, furnos et balnea laudat
Ut fortunatam plene praestantia vitam;
Nec, si te validus iactaverit Auster in alto,
Idcirco navem trans Aegaeum mare vendas.
Incolumi Rhodos et Mytilene pulchra facit, quod
Paenula solstitio, campestre nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.
Dum licet ac vultum servat Fortuna benignum,
Romae laudetur Samos et Chios et Rhodos absens.
Tu, quamcumque deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu neu dulcia differ in annum,
Ut, quocumque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas: nam si ratio et prudentia curas,

---

4. Cunctane gφψλlβσ *alii multi*: Cunctaque AaRγπL *cum paucis*. 10. ex terra AaRγgσβ *alii, quibus paruit Mewesius*. 14. Et *pro* Ut *pauci, in his* φψlπ. 17. Rhodus *admodum pauci, ut* $\sigma^1\beta^1$. 21. Samus Aaγ^1L *alii pauci*. – Chius Aaγ^1g *cum paucis*. – Rhodus *nonnulli, veluti* Aaγ^1gLB. 22. oram *aliquot codd., ut* AaRπLγ *p. ras. unus Bland.* 23. nec *pro* neu *exhibent perpauci codd., in his* β^2 *et Paris.* 8213., *sed receperunt editt. vett. ante Bentleium qui veram lectionem revocavit.* 24. Tu *pro eo quod est* Ut *complures, velut* RφψλlπLβ *quattuor Blandinii.*

Non locus effusi late maris arbiter aufert,
Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia: navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic est,
Est Ulubris, animus si te non deficit aequus.

XII

Fructibus Agrippae Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris, non est ut copia maior
Ab Iove donari possit tibi. Tolle querellas:
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere maius.
Si forte in medio positorum abstemius herbis
Vivis et urtica, sic vives protinus, ut te
Confestim liquidus Fortunae rivus inauret,
Vel quia naturam mutare pecunia nescit,
Vel quia cuncta putas una virtute minora.
Miramur, si Democriti pecus edit agellos
Cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox,
Cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri
Nil parvum sapias et adhuc sublimia cures:
Quae mare compescant causae, quid temperet annum,
Stellae sponte sua iussaene vagentur et errent,

I, 12. — 1. Acrillae *pro eo quod est* Agrippae *scripsit Horkelius, quod « fortasse rectius » esse animadverterunt Kellerus et Haeussnerus.* 8. protenus, *adversantibus codd., Bentleius.* 16. temperat Rφψλlπ *alii pauci.*

Quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem,
Quid velit et possit rerum concordia discors,
Empedocles an Stertinium deliret acumen.
Verum, seu piscis seu porrum et caepe trucidas,
Utere Pompeio Grospho et, siquid petet, ultro
Defer: nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.
Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid dest.
Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:
Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit; ius imperiumque Prahates
Caesaris accepit genibus minor; aurea fruges
Italiae pleno defundit Copia cornu.

XIII

Ut proficiscentem docui te saepe diuque,
Augusto reddes signata volumina, Vinni,

---

22. petit g, *opp. ceteris.* 24. dest *admodum pauci, in his a pr.* R.: deest *ceteri.* 25. Nec tamen *cum perpaucis Paris.* 8218: Nec non π *alii perpauci.* 27. Prahates *habent multi codd., ut* AaRγπβ: Praates φψ*l*: Phrahates σg *alii pauci*: Phraates *Monacensis* 14685. 29. defundit Aa *corr. eadem manu* γgL$\beta^1\sigma^1$ *omnes Blandinii, Reginensis, alii, probante Bentleio*: defudit a *pr.* Rφψλ^lπσ *p. ras. alii*: diffudit *aut* diffundit *pauci.*

I, 13. — 2. Vinni *habent omnes codd., nisi quod Monacensis* 14685 *praebet* Venni; *sed* Vini *maluerunt Torrentius et Bentleius, quorum ad arbitrium omnes prope recentiores se accommodaverunt. Quamquam vero non est infitiandum in huius epistulae inscriptione codices* λ, *Bernensem* 542, *Mellicensem* AD VINIVM *clarissime exhibere, eandemque nominis formam ter in scholiis cod.* γ, *semper autem in*

Si validus, si laetus erit, si denique poscet;
Ne studio nostri pecces odiumque libellis
Sedulus importes opera vehemente minister.
Si te forte meae gravis uret sarcina chartae,
Abicito potius quam, quo perferre iuberis,
Clitellas ferus impingas Asinaeque paternum
Cognomen vertas in risum et fabula fias.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas.
Victor propositi simul ac perveneris illuc,
Sic positum servabis onus, ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,
Ut vinosa glomus furtivae Pyrria lanae,
Ut cum pilleolo soleas conviva tribulis.
Ne vulgo narres, te sudavisse ferendo
Carmina, quae possint oculos aurisque morari
Caesaris; oratus multa prece, nitere porro.
Vade, vale, cave ne titubes mandataque frangas.

---

lapidibus inscriptis inveniri, tamen, cum verisimillimum sit quod Ritterus animadvertit, apud Sabinos, qui alibi et in titulis Vinii *nominentur, eos fortasse* Vinnios *appellatos esse, codicum lectionem, quam Ritterus servavit ac nuper cum Kellero et Haeussnero ipse Kiesslingius restituit, reponendam esse censui.* **6.** uret *omnes fere codd.*: urit *cum perpaucis Mon.* 14685 : urat *Priscianus.* **14.** glomus AaRγπLσ *unus Blandin., probante Bentleio*: glomos gφψλl3, *tres Blandinii, alii*: globos *Paris.* 8213 *alii perpauci.* — Pyrria *vel* Pirria *codd.*: Pyrrhia *omnes fere libri editi habent: hoc vero nomen neque Graecae neque Romanae feminae esse, nec posse dubitari quin illud a librariis corruptum sit affirmavit Lachmannus, adsentientibus Luc. Muellero et Kiesslingio*: Proclia *et* Prilia *coniecit Ribbeckius.* **15.** pilleolo *omnes ad unum codd.* **16.** Ne *maior pars codd.*: Nec *Monacensis* 14685 *cum perpaucis*: Neu *ex cod. Galeano Bentleius, item* aσ. **18, 19.** nitere. porro Vade *distinxit Bentleius, cui suffragati sunt Luc. Muellerus, Hirschfelderus, Kiesslingius, alii pauci.*

XIIII

Vilice silvarum et mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis, habitatum quinque focis et
Quinque bonos solitum Variam dimittere patres,
Certemus, spinas animone ego fortius an tu
Evellas agro, et melior sit Horatius an res.
Me quamvis Lamiae pietas et cura moratur,
Fratrem maerentis, rapto de fratre dolentis
Insolabiliter, tamen istuc mens animusque
Fert et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum:
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus uterque locum immeritum causatur inique:
In culpa est animus, qui se non effugit umquam.
Tu mediastinus tacita prece rura petebas,
Nunc urbem et ludos et balnea vilicus optas;
Me constare mihi scis et discedere tristem,
Quandocumque trahunt invisa negotia Romam.
Non eadem miramur; eo disconvenit inter
Meque et te: nam, quae deserta et inhospita tesqua
Credis, amoena vocat mecum qui sentit, et odit

I, 14. – 1. Vilice Aaγφψλιπ[1] *alii multi*: Villice *aliquot codd., ut* βσgπ[2]L *Paris.* 8218. 5. an rus *ex coniectura Daniel Heinsius, non improbante Bentleio, qui tamen receptae lectioni « impingere » noluit.* 9. amat *codd.*: avet *coniecit atque edidit Bentleius.* 11. sors *maior pars codd.*: res σg, *unus Blandin., Monacensis* 14685, *Brussell., alii pauci.* 19. nam qua σ[1]aβ[1]*Apr.*? *cum Blandinio vetustiss. et aliis perpaucis.*

Quae tu pulchra putas. Fornix tibi et uncta popina
Incutiunt urbis desiderium, video, et quod
Angulus iste feret piper et tus ocius uva,
Nec vicina subest vinum praebere taberna
Quae possit tibi, nec meretrix tibicina, cuius
Ad strepitum salias terrae gravis: et tamen urges
Iampridem non tacta ligonibus arva bovemque
Disiunctum curas et strictis frondibus exples;
Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato.
Nunc age, quid nostrum concentum dividat, audi.
Quem tenues decuere togae nitidique capilli,
Quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci,
Quem bibulum liquidi media de luce Falerni,
Cena brevis iuvat et prope rivum somnus in herba.
Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, non odio obscuro morsuque venenat;
Rident vicini glaebas et saxa moventem.
Cum servis urbana diaria rodere mavis;
Horum tu in numerum voto ruis: invidet usum
Lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.

---

21. popinae *admodum pauci, ut* πL. 23. tus *omnes paene codd.*: thus *perpauci deteriores, in his* σ. 25. posset AaRγσβ *alii pauci.* 39, 40. saxa moventem Cum servis. Urbana *sic distinxerunt Madvigius, Luc. Muellerus, alii pauci.* – tu *post* servis *intrusit Bentleius.* – diaria *omnes fere codd.*: cibaria R^1 *ut vid.* g *Bruxell.*, *quod ex illius* diaria *explanatione natum esse perspicuum est.*

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

XV

Quae sit hiemps Veliae, quod caelum, Vala, Salerni,
Quorum hominum regio et qualis via (nam mihi Baias
Musa supervacuas Antonius, et tamen illis
Me facit invisum, gelida cum perluor unda
Per medium frigus. Sane murteta relinqui
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulpura contemni vicus gemit, invidus aegris,
Qui caput et stomachum supponere fontibus audent
Clusinis Gabiosque petunt et frigida rura.
Mutandus locus est et deversoria nota
Praeteragendus equus. 'Quo tendis? Non mihi [Cumas
Est iter aut Baias' laeva stomachosus habena

---

43. bos: piger optat *interpunxit Bentleius, paucis suffragantibus codd., veluti Paris.* 8218 *et Basiliensi: plerique vero codd. distinctionis notam post* piger *habent; nullam interpunctionem exhibent* λg *cum paucis.*

I, 15. — 4. perluor *plerique codd., item Blandinii; hos tamen* pervehor *« supra scriptum » exhibuisse testatur Cruquius*: pervehor *quidem, ut varia lectio, exstat in aliquot codicum scholiis*: perrivor *praebent* AaRπ *alii pauci.* 7. Sulpura AaRπ: Sulphura *ceteri*: Sulfura *scripserunt Bentleius, Kruegerus, Luc. Muellerus, alii.* 9. Clusinis *omnes prope codd.*: Clusinos *Monacensis* 14685 *a m. pr. et Blandinius, ut videtur, vetustissimus, patrocinantibus Cuninghamo et Stallbaumio.*

Dicet eques; sed equi frenato est auris in ore);
Maior utrum populum frumenti copia pascat,
Collectosne bibant imbres puteosne perennis
Iugis aquae (nam vina nihil moror illius orae;
Rure meo possum quidvis perferre patique:
Ad mare cum veni, generosum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas animumque meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanae iuvenem commendet amicae);
Tractus uter pluris lepores, uter educet apros,
Utra magis piscis et echinos aequora celent,
Pinguis ut inde domum possim Phaeaxque reverti,
Scribere te nobis, tibi nos adcredere par est.
Maenius, ut rebus maternis atque paternis
Fortiter absumptis urbanus coepit haberi
Scurra, vagus, non qui certum praesepe teneret,
Impransus non qui civem dinosceret hoste,
Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus,
Pernicies et tempestas barathrumque macelli,

---

13. equi *maior pars codd.*: equis *ex paucis protulit Bentleius, probante Luc. Muellero.* 15. puteosque β *Paris.* 8213 *cum perpaucis.* 16. Iugis *omnes fere codd., in his tres Blandinii*: Dulcis g *Monac.* 14685 *Paris.* 8213 *Blandin., ut vid., vetustiss., accedunt complures editt. veteres, improbante Bentleio, qui illud* Iugis *reposuit.* 17. quodvis *coniecit Nic. Heinsius.* 18. venio *pauci, veluti* Lσγ^2. 26. *Novam epistulam incipiunt* gφψπLa^2 *alii.* 27, 28. haberi Scurra, vagus, non qui *suffragante* L *cum aliis perpaucis, distinxerunt Holderus, Kellerus, Mewesius, quos sequor*: haberi Scurra, vagus non qui (= qui vagus non) *cum Kiesslingio Sabbadinius*: haberi, Scurra vagus, non qui *Bentleius, Ritterus, Dillenburgerus, Kruegerus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus.*

Quicquid quaesierat, ventri donabat avaro.
Hic, ubi nequitiae fautoribus et timidis nil
Aut paulum abstulerat, patinas cenabat omasi,
Vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset;
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos correctus Bestius. Idem,
Quicquid erat nactus praedae maioris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem, 'non hercule miror,'
Aiebat, 'siqui comedunt bona, cum sit obeso
Nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla.'
Nimirum hic ego sum; nam tuta et parvola laudo,
Cum res deficiunt, satis inter vilia fortis:
Verum ubi quid melius contingit et unctius, idem
Vos sapere et solos aio bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

---

32. donabat Aaγgβσ *Monac.* 14685 *alii pauci*: donarat *ceteri*: donaret *ex coniectura commentus est Bentleius, cui paruerunt Luc. Muellerus et Kiesslingius.* 35. agnini AaγLgσλ *alii.* 37. urendos correctus Bestius. Idem *distinxerunt Ritterus, Kiesslingius, Mewesius, alii multi, probante Kellero*: urendos. correctus Bestius idem, *edidit Holderus*: corrector *pro eo quod est* correctus *ex uno cod. Lambinus, assentientibus Bentleio, Dillenburgero, Kruegero, Luc. Muellero, Hirschfeldero*: correptus *exhibent aliquot codd., ut* φψλlgπ *unus Blandin.* 38. Quicquid *uno fere consensu codd.*: Quidquid g: Si quid *cum quibusdam Torrentii codd. Bentleius.* 39. Verterat *omnes paene codd.*: Verteret ψ*pr. Monac.* 14685. 41. vulva *plerique*: volva φψλlπ, *Blandinii, alii.* 45. vallis *pro* villis *nonnulli, velut* φψλlπ.

XVI

Ne percontеris, fundus meus, optime Quincti,
Arvo pascat erum an bacis opulentet olivae,
Pomisne an pratis an amicta vitibus ulmo,
Scribetur tibi forma loquaciter et situs agri.
Continui montes si dissocientur opaca
Valle, sed ut veniens dextrum latus aspiciat Sol,
Laevum discedens curru fugiente vaporet,
Temperiem laudes. Quid, si rubicunda benigni
Corna vepres et pruna ferant? si quercus et ilex
Multa fruge pecus, multa dominum iuvet umbra?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.

I, 16. — 1. Quincti g *et* R *a. ras. cum Blandin. vetustiss.*: Quinti *ceteri.* 3. an pratis *aliquot codd., in his* g *Monac.* 14685 *tres Cruquiani, totidem Torrentii, primus autem edidit Bentleius, quem plerique sequuntur*: et pratis *maior pars codd., adprobantibus Holdero, Kellero, Hirschfeldero, Sabbadinio.* 5-8. Continui montes, ni dissocientur.... vaporet. Temperiem laudes. *omnes prope libri editi distinguunt: ego vero Holderum, Kellerum, Kiesslingium, Sabbadinium secutus sum, qui, reiecto illo* ni *quod quidem multi codd. praebent, ex* aγσ *Monac.* 14685 *aliis paucis particulam* si *assumpserunt et* Temperiem laudes *cum vv. praecedentibus arto vinculo coniunxerunt.* — descendens *admodum pauci, in his* πL.: decedens *ex coniectura Bentleius, cui obtemperaverunt Kruegerus, Luc. Muellerus, Kiesslingius, alii pauci.* — Quodsi *al cum perpaucis.* — benigne φλRπLβ¹ *alii*: benignae ψl¹π²β² *cum paucis*: benigni, *quod habent* Aaγgσl² *duo Bland. alii, restituit Bentleius.* 9, 10 ferant *et* iuvet *omnes paene codd.*: ferunt *et* iuvat *perpauci cum Florilegio Nostradamensi, edidit et defendit Bentleius.* — ni quercus *Blandinii, teste Cruquio*: et quercus A*corr.*γβσπ.

Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus,
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hae latebrae dulces, etiam, si credis, amoenae,
Incolumem tibi me praestant Septembribus horis.
Tu recte vivis, si curas esse quod audis.
Iactamus iam pridem omnis te Roma beatum:
Sed vereor, necui de te plus quam tibi credas,
Neve putes alium sapiente bonoque beatum,
Neu, si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
Siquis bella tibi terra pugnata marique
Dicat et his verbis vacuas permulceat auris:
'Tene magis salvum populus velit an populum tu,
Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi,
Iuppiter,' Augusti laudes agnoscere possis:
Cum pateris sapiens emendatusque vocari,
Respondesne tuo, dic, sodes, nomine? 'Nempe
Vir bonus et prudens dici delector ego ac tu.'
Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet, ut si
Detulerit fasces indigno, detrahet idem.

---

14. aptus et utilis RπLφ *corr. alii perpauci.* 15. etiam, si credis, *codd.*: et (iam si credis) *maluit Bentleius*, *probantibus Kruegero, Luc. Muellero, Hirschfeldero, Kiesslingio, Sabbadinio.* 22. tempus *plerique codd.*: pectus agRπ *alii perpauci.* 30. pateris γgφψλlπ *alii*: poteris AaRL *cum paucis*: cupias σβ *Monac.* 14685. 34. detrahit *pauci, in his* Aagσβ: detrahat R.

'Pone, meum est' inquit: pono tristisque recedo.
Idem si clamet furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo collum pressisse paternum,
Mordear opprobriis falsis mutemque colores?
Falsus honor iuvat et mendax infamia terret
Quem nisi mendosum et medicandum? Vir bonus
[est quis?
'Qui consulta patrum, qui leges iuraque servat,
Quo multae magnaeque secantur iudice lites,
Quo res sponsore et quo causae teste tenentur.'
Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
Introrsum turpem, speciosum pelle decora.
'Nec furtum feci nec fugi' si mihi dicat
Servus: 'habes pretium, loris non ureris' aio.
'Non hominem occidi.' 'Non pasces in cruce corvos.'
'Sum bonus et frugi.' Renuit negitatque Sabellus.
Cautus enim metuit foveam lupus accipiterque

---

40. et medicandum R^1γφψλL *quattuor Blandinii alii multi*: et mendacem A^2a *corr.* βσ *alii pauci, item omnes fere editt. ante Bentleium qui alteram lectionem, iampridem Cruquio et Baxtero probatam, tuendam esse demonstravit.* 43. res sponsore *ex Blandinio vetustiss. primus edidit Cruquius, qui tamen ante Bentleium nullum sibi comitem invenit, cum docti viri, ceteros codd. secuti, illud* responsore *in deliciis haberent, quod etiam nostra memoria edidit et defendit Ritterus.* 45. Introrsum *maior pars codd.*: Introrsus Lβ, *ex suis autem codd. Bentleius*: Hunc prorsus φψλl *alii pauci.* 46. dicat Aaγgφψλlβσ *alii multi*: dicit *pauci, in his* RπL, *adprobante Bentleio.* 49. negitatque π, *Monac.* 14685, *Blandin. vetustiss., alii pauci, recepit Bentleius*: negit atque AγL: negat atque Rgφψλlσβ *alii multi, improbavit Bentleius.*

Suspectos laqueos et opertum miluus hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine poenae:
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.
Nam de mille fabae modiis cum surripis unum,
Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.
Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
Quandocumque deos vel porco vel bove placat,
'Iane pater' clare, clare cum dixit 'Apollo',
Labra movet metuens audiri: 'pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri,
Noctem peccatis et fraudibus obice nubem.'
Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
In triviis fixum cum se demittit ob assem,
Non video: nam qui cupiet, metuet quoque; porro
Qui metuens vivet, liber mihi non erit umquam.
Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat et obruitur re.
Vendere cum possis captivum, occidere noli:
Serviet utiliter: sine pascat durus aretque,
Naviget ac mediis hiemet mercator in undis,
Annonae prosit, portet frumenta penusque.

---

51. suspectus *aliquot codd., veluti* Rφψλlβ. 55. fabae.... unam *coniecit Cuninghamus*: fabam.... unam *commentus est Peerlkampus.* 61. iusto sanctoque AaRπ *Monac.* 14685 *Blandin. vetustiss., alii, quos laudavit Bentleius*: iustum sanctumque γgφψλlL *alii multi, praeterea editt. veteres ante Bentleium.* 63. Qui.... qui *plerique codd., in his quattuor Blandinii*: Quo..... quo φψλlπ *alii pauci.* 64. dimittit Aaγσβ *alii.* 66. vivit *admodum pauci cum* σ, *edidit Bentleius.* 72. penumque *admodum pauci, in his Paris.* 8213.

Vir bonus et sapiens audebit dicere: 'Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges?' 'Adimam bona.' 'Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas licet.' 'In manicis et
Compedibus saevo te sub custode tenebo.'
'Ipse deus, simul atque volam, me solvet.' Opinor,
Hoc sentit 'moriar.' Mors ultima linea rerum est.

XVII

Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis et scis,
Quo tandem pacto deceat maioribus uti,
Disce, docendus adhuc quae censet amiculus, ut si
Caecus iter monstrare velit; tamen aspice, siquid
Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.
Si te grata quies et primam somnus in horam
Delectat, si te pulvis strepitusque rotarum,
Si laedit caupona, Ferentinum ire iubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis,
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.
Si prodesse tuis pauloque benignius ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.

---

79. rerum, *omisso* est, *cum perpaucis Monac.* 14685.

I, 17. — 2. tandem *codd.*: tenuem *coniecit Horkelius, probantibus Meinekio et Doederleino, quorum argumenta et rationes infirmaverunt Dillenburgerus, Kellerus, alii.* 8. laedit *Monacensis* 14685 *et Florilegium Nostradamense*: laedat *vel potius* ledat *Paris.* 8213 *cum perpaucis*: laedet (*vel* ledet) *ceteri, ediderunt Bentleius et Ritterus vulgatam lectionem amplexi.* 12. ad unctum *omnes fere codd.*; *nonnulli vero* adunctum *praebent*: inunctum *habuit Blandin. vetustiss.*

'Si pranderet holus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus.' 'Si sciret regibus uti,
Fastidiret holus, qui me notat.' Utrius horum
Verba probes et facta doce vel iunior audi,
Cur sit Aristippi potior sententia. Namque
Mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt:
'Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc et
Splendidius multo est. Equus ut me portet, alat rex,
Officium facio: tu poscis vilia, verum
Dante minor, quamvis fers te nullius egentem.'
Omnis Aristippum decuit color et status et res,
Temptantem maiora, fere praesentibus aequum.
Contra, quem duplici panno patientia velat,
Mirabor, vitae via si conversa decebit.
Alter purpureum non exspectabit amictum,
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet
Personamque feret non inconcinnus utramque:
Alter Mileti textam cane peius et angue
Vitabit chlamydem, morietur frigore, si non
Rettuleris pannum. Refer et sine vivat ineptus.
Res gerere et captos ostendere civibus hostis

---

19. regibus *pro* rectius φψλl. 21. pascis *admodum pauci, in his* g *Monac.* 14685. — verum *omnes prope codd. cum quattuor Blandiniis*: rerum σ *alii perpauci, quos secuti* vilia rerum *ediderunt Bentleius, Kruegerus, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus, alii*: verum es *exstat in nonnullis codd., ut in* Aφψλl; *quapropter* verums *maluerunt Ecksteinus et Holderus.* 28. ioca Rφψλlπ. 30. angue *maior pars codd.*: angui Rφψλl *Priscianus, adprobante Bentleio, cui multi obtemperaverunt.* 31. Vitabit φψλl *alii*: Vitavit *aliquot codd., veluti* AaγgσR: Vitabat *cod. Bambergensis et Priscianus.*

Attingit solium Iovis et caelestia temptat.
Principibus placuisse viris non ultima laus est.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
Sedit qui timuit, ne non succederet. 'Esto.
Quid qui pervenit, fecitne viriliter?' Atqui
Hic est aut nusquam, quod quaerimus. Hic onus horret
Ut parvis animis et parvo corpore maius:
Hic subit et perfert. Aut virtus nomen inane est,
Aut decus et pretium recte petit experiens vir.
Coram rege suo de paupertate tacentes
Plus poscente ferent. Distat, sumasne pudenter
An rapias. Atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
'Indotata mihi soror est, paupercula mater
Et fundus nec vendibilis nec pascere firmus'
Qui dicit, clamat 'victum date.' Succinit alter
'Et mihi.' Dividuo findetur munere quadra.
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis et rixae multo minus invidiaeque.
Brundisium comes aut Surrentum ductus amoenum,
Qui queritur salebras et acerbum frigus et imbres,
Aut cistam effractam et subducta viatica plorat,

---

43. suo *omnes paene codd.*; *hanc vero lectionem ineptissimam esse affirmavit Lachmannus*: sua *Petrensis*, *Paris.* 8216, *unus Feae*, *commendavit et edidit Bentleius*, *quem imitati sunt Ritterus*, *Kruegerus*, *Luc. Muellerus*, *Hirschfelderus*, *Sabbadinius*. 44. ferunt *cum aliis perpaucis Monac.* 14685. 49. Et mihi. Dividuo *recte distinxerunt Holderus*, *Kellerus*, *Kiesslingius*, *Sabbadinius*, *Mewesius*: Et mihi dividuo *sine ulla distinctione aliquot codd. prae se ferunt*, *idque Bentleio aliisque multis placuit*.

Nota refert meretricis acumina, saepe catellam,
Saepe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox
Nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
Nec semel inrisus triviis attollere curat
Fracto crure planum. Licet illi plurima manet
Lacrima, per sanctum iuratus dicat Osirim
'Credite, non ludo: crudeles, tollite claudum';
'Quaere peregrinum' vicinia rauca reclamat.

XVIII

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis speciem praebere, professus amicum.
Ut matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurrae distabit amicus.
Est huic diversum vitio vitium prope maius,
Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
Quae se commendat tonsa cute, dentibus atris,
Dum vult libertas dici mera veraque virtus.
Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum.
Alter in obsequium plus aequo pronus et imi
Derisor lecti sic nutum divitis horret,
Sic iterat voces et verba cadentia tollit,
Ut puerum saevo credas dictata magistro
Reddere vel partis mimum tractare secundas.

I, 18. — 7. Quae se commendat tonsa cute *codd.*: Commendat quae se intonsa cute *maluit Sanadonus*: Quae cute se intonsa commendat *Doederlinus*. 8. mera dici *editt. ante Bentleium*, *perpaucis suffragantibus codd.* 9. utrumque aγR.

Alter rixatur de lana saepe caprina,
Propugnat nugis armatus: 'scilicet ut non
Sit mihi prima fides et, vere quod placet, ut non
Acriter elatrem, pretium aetas altera sordet.'
Ambigitur quid enim? Castor sciat an Docilis plus;
Brundisium Minuci melius via ducat an Appi.
Quem damnosa Venus, quem praeceps alea nudat,
Gloria quem supra vires et vestit et ungit,
Quem tenet argenti sitis importuna famesque,
Quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus,
Saepe decem vitiis instructior, odit et horret,
Aut, si non odit, regit ac veluti pia mater
Plus quam se sapere et virtutibus esse priorem
Vult et ait prope vera: 'meae (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes: tibi parvola res est:
Arta decet sanum comitem toga; desine mecum

15, 16. rixator *ex coniectura edidit Muretus, improbavit Bentleius, receperunt vero Kruegerus, Holderus, Kellerus; hic tamen in edit. quam cum Haeussnero curavit omnium prope codd. lectionem, id est* rixatur, *merito restituit*: rixatus *duo Blandinii, in his vetustissimus, edidit et defendit Kiesslingius.* — Alter rixatur, de lana saepe caprina, Propugnat nugis armatus: Scilicet *distinxerunt Hauptius et Hirschfelderus*: Alter rixatus, de lana saepe caprina, propugnat nugis armatus scilicet: ut *Kiesslingius Doederlinum imitatus, qui* scilicet *cum* armatus *arte coniungere voluit*: rixatur de laua.... et Propugnat, *addita per libidinem coniunctione, Bentleius.* 18. elatrem? *sequente interrogationis nota, multi ediderunt, ut Bentleius, Kruegerus, Dillenburgerus, Hirschfelderus, Kiesslingius, Mewesius.* 19. Docilis *omnes paene codd., in his tres Blandinii*: Dolichos *ex tribus Cruquianis protulerunt Dillenburgerus, Luc. Muellerus, alii pauci.* 20. Minuti *Blandinii, opp. cett.*

Certare. Eutrapelus, cuicumque nocere volebat,
Vestimenta dabat pretiosa: beatus enim iam
Cum pulchris tunicis sumet nova consilia et spes,
Dormiet in lucem, scorto postponet honestum
Officium, nummos alienos pascet, ad imum
Thraex erit aut holitoris aget mercede caballum.'
Arcanum neque tu scrutaberis illius umquam,
Commissumque teges et vino tortus et ira.
Nec tua laudabis studia aut aliena reprendes,
Nec, cum venari volet ille, poemata panges.
Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, dissiluit, donec suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion: tu cede potentis amici
Lenibus imperiis, quotiensque educet in agros
Aetolis onerata plagis iumenta canesque,

81-36 *Hos versus divitis amici orationi adiungendos esse recte vidit Kiesslingius, probantibus Sabbadinio et Mewesio.* – Thraex A^1a^1: Threx *Dessaviensis A*: Thrax *vel* Trax *ceteri.* – agit Aaγ *alii pauci.* 37. scrutaveris g *et Monac.* 14685. – ullius *omnes fere codd. omnesque ad unam edit. ante Bentleium, qui, cum primum* illius *scribendum esse coniecisset, postea hanc lectionem, quam nunc omnes prope critici tuentur, in cod. Collegii Regalis et a pr. m. in Magdalenensi clare expressam repperit.* 40. pangas g *cum perpaucis.* 45. quotiens quoque ducit λl, *quod scriptum esse puto ut aliorum codd. lectio* quotiensque ducit (*cfr.* φψ) *vel* ducet (*cfr.* πL) *emendaretur.* 46. Aetolis *ad omnium fere codd. fidem legendum esse demonstravit Bentleius illud* Aeoliis *repudians, quod Ianus Ultius coniecerat ac nostris temporibus defenderunt Meinekius, Luc. Muellerus, Dillenburgerus, alii pauci, nonnullorum quoque codd. praesidio muniti, ut Parisini* 7976 *et Montepess.*

Surge et inhumanae senium depone Camenae,
Cenes ut pariter pulmenta laboribus empta:
Romanis sollemne viris opus, utile famae
Vitaeque et membris, praesertim cum valeas et
Vel cursu superare canem vel viribus aprum
Possis. Adde, virilia quod speciosius arma
Non est qui tractet: scis, quo clamore coronae
Proelia sustineas campestria; denique saevam
Militiam puer et Cantabrica bella tulisti
Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit
Nunc et, siquid abest, Italis adiudicat armis.
Ac ne te retrahas et inexcusabilis absis,
Quamvis nil extra numerum fecisse modumque
Curas, interdum nugaris rure paterno:
Partitur lintres exercitus; Actia pugna
Te duce per pueros hostili more refertur;
Adversarius est frater, lacus Hadria; donec
Alterutrum velox Victoria fronde coronet.
Consentire suis studiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
Protinus ut moneam, siquid monitoris eges tu,
Quid de quoque viro et cui dicas, saepe videto.
Percontatorem fugito: nam garrulus idem est,
Nec retinent patulae commissa fideliter aures,
Et semel emissum volat inrevocabile verbum.
Non ancilla tuum iecur ulceret ulla puerve
Intra marmoreum venerandi limen amici,

---

57. armis *codd.*: arvis *coniecit sed Horatii verbis non inseruit Bentleius.* 58. abstes *edidit Bentleius, oppositis codd.* 67. protenus *contra omnes codd. Bentleius.*

Ne dominus pueri pulchri caraeve puellae
Munere te parvo beet aut incommodus angat.
Qualem commendes, etiam atque etiam aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur et quondam non dignum tradimus: ergo
Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri,
Ut penitus notum si temptent crimina, serves
Tuterisque tuo fidentem praesidio: qui
Dente Theonino cum circumroditur, ecquid
Ad te post paulo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici;
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Oderunt hilarem tristes tristemque iocosi,
Sedatum celeres, agilem navumque remissi;
[Potores bibuli media de nocte Falerni]
Oderunt porrecta negantem pocula, quamvis

---

74. Ne pueri dominus pulchri g *Monac.* 14685 *Reginensis alii pauci.* 80. At *pro* Ut *ex coniectura edidit Bentleius.* 81. fidentem *maior pars codd.*: fidens est φψλd *alii pauci*: fidenter *in vetustissimo quodam cod. exstitisse affirmavit Barthius, recepit Bentleius. Ceterum huic lectioni suffragatur etiam cod. Paris.* 8213. 82. et quid *pro* ecquid ARg *cum paucis.* 87. metuit Aaγgσβ *alii*: metuet RφψλldπL *alii multi, defensoribus Holdero, Kellero, Kruegero.* 90. navum *omnes paene codd.*: gnavum *admodum pauci, in his Paris.* 8213. 91, 92. *Versum* 91 *maior pars codd. omittit: cum enim praebent a prima manu tantummodo* σ *Parisinus* 8216 *Petropolitanus alii perpauci, addiderunt autem manus recentiores in* γψlL *aliis paucis, cum omnino praetermittant.* AaRgφλdπβ *Monacensis* 14685.

Nocturnos iures te formidare tepores.
Deme supercilio nubem: plerumque modestus
Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum,
Num te semper inops agitet vexetque cupido,
Num pavor et rerum mediocriter utilium spes,
Virtutem doctrina paret naturane donet,
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum,
Quid pure tranquillet, honos an dulce lucellum
An secretum iter et fallentis semita vitae.
Me quotiens reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus,

Quae cum ita sint, plerique aetatis nostrae critici, Bentleii exemplum imitati, qui vereri sese aiebat ne v. 91 *« interpolatoris liberalitati » deberetur, verba* bibuli de nocte Falerni *ab Epist.* I, 14, 34 *satis inepte adscita atque ad hunc locum levi mutatione a nescio quo grammatico accommodata esse arbitrantur. Tamen quae sint in duobus his versibus ab Horatio abiudicanda, summa est virorum doctorum dissensio, ne dicam Vahlenum, atque ante eum Ritterum et Dillenburgerum, totum locum patrocinio suo tueri et Horatio tribuere non dubitasse; quod nuper probavit Mewesius. Cum enim nonnulli, ut Kruegerus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus, Sabbadinius, Pottieri et Meinekii vestigia persecuti, expunctis verbis* bibuli media de nocte Falerni Oderunt, *ex duobus unum versum composuissent, quasi ita poetam scripsisse pro certo habendum esset* Potores porrecta negantem pocula, quamvis; *alii, velut Holderus, Kellerus, Kiesslingius, quibus adsentior, versum* 91 *adsciticium, totum autem v.* 92 *Horatianum esse iudicarunt.* 93. tepores *uno fere consensu codd.*: vapores *Einsiedlensis* 361 *cum perpaucis.* 98, 99. *In utroque versu omnes paene codd.* Num *habent*: Non *exhibet Parisinus* 8213 *cum perpaucis correctis*: Ne *edidit Bentleius, auctore Lambino.*

Quid sentire putas, quid credis, amice, precari?
'Sit mihi quod nunc est, etiam minus, et mihi vivam
Quod superest aevi, siquid superesse volunt di:
Sit bona librorum et provisae frugis in annum
Copia, neu fluitem dubiae spe pendulus horae.'
Sed satis est orare Iovem, quae ponit et aufert:
Det vitam, det opes; aequum mi animum ipse parabo.

XVIIII

Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino,
Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,
Quae scribuntur aquae potoribus. Ut male sanos
Adscripsit Liber Satyris Faunisque poetas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camenae.
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus:
Ennius ipse pater numquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda. 'Forum putealque Libonis
Mandabo siccis, adimam cantare severis.'
Hoc simul edixi, non cessavere poetae

---

107. et mihi Rφψλldπ *quattuor Blandinii alii, restituit autem Bentleius, reiecta vulgata lectione* Ut mihi, *quam praebent* AaγgLσ *cum paucis.* 110. neu *codd., si perpaucos excipias in quibus est* ne. 111. Haec *pro* Sed *Paris.* 8218, *oppositis cett. praeter* R *qui habet* Est. — quae AaRψλlπ *alii*: qui γgLβσ *Monac.* 14685 *Paris.* 8218 *alii, probantibus Kruegero, Hirschfeldero, Kiesslingio, Meinesio.* — ponit φψλld *omnes Blandinii alii, recepit Bentleius, reclamantibus Kruegero, Holdero, Kellero, aliis, qui ab aliquot codd., veluti* AaRγLβσ, donat *mutuati sunt.*

I, 19. — 4, 5. poetas, Vina *distinxit Bentleius.* 10. edixit AaγlL *alii pauci, repudiavit Bentleius*: edixti *coniecit Dan. Heinsius.*

Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid, siquis vultu torvo ferus et pede nudo
Exiguaeque togae simulet textore Catonem,
Virtutemne repraesentet moresque Catonis?
Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua,
Dum studet urbanus tenditque disertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile. Quod si
Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.
O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe
Bilem, saepe iocum vestri movere tumultus!
Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidet,
Dux reget examen. Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.
Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos et carminis artem:
Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcaeus, sed rebus et ordine dispar,
Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris,

---

13. textore *plerique codd.*: ex ore *vel* exore φψλlπL *alii*: extore R^1: textura *coniecit Sabbadinius, qui totum locum sic legi posse opinatus est* Quid? sit quis voltu.... simulet textura Catonem: Virtutemne e. q. s. 15. cena *pro* lingua *admodum pauci, in his Monac.* 14685: gena a *pr. cum perpaucis.* 18. Pallerent *pauci, velut* $R\pi^1\beta^1$. 22, 23. fidet AaRγgπL *Blandin. vetustiss. alii*: fidit *ex aliquot codd. reposuerunt Bentleius et Luc. Muellerus, qui item in versu* 23 regit, *perpaucis suffragantibus codd., ediderunt. Ritterus contra* fidit *et* reget *probavit.* — Patrios *pro eo quod est* Parios *pauci, ut* φψλlπL. 30. oblinat γgLβσ *Paris.* 8213 *alii*: oplinat Aa: optinet Rφψλldπ *alii.*

Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego, non alio dictum prius ore, latinus
Vulgavi fidicen: iuvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi manibusque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus:
Non ego ventosae plebis suffragia venor
Impensis cenarum et tritae munere vestis;
Non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor,
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor.
Hinc illae lacrimae. 'Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare et nugis addere pondus'
Si dixi, 'rides' ait 'et Iovis auribus ista
Servas: fidis enim manare poetica mella
Te solum, tibi pulcher.' Ad haec ego naribus uti
Formido et, luctantis acuto ne secer ungui,
'Displicet iste locus' clamo et diludia posco.
Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
Ira truces inimicitias et funebre bellum.

XX

Vertumnum Ianumque, liber, spectare videris,
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.
Odisti clavis et grata sigilla pudico,
Paucis ostendi gemis et communia laudas,

---

32. latinis λlσβ *alii pauci.* 39. adiutor *pro* auditor *admodum pauci cum* d. 47. ille *non* iste *habent* Rgφψλldπ.

I, 20. — 2. mundus *omnes fere codd.*: nudus φψλl *Paris.* 8213.

Non ita nutritus. Fuge quo descendere gestis:
Non erit emisso reditus tibi. 'Quid miser egi?
Quid volui?' dices, ubi quis te laeserit; et scis
In breve te cogi, cum plenus languet amator.
Quodsi non odio peccantis desipit augur,
Carus eris Romae, donec te deserat aetas:
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Coeperis, aut tineas pasces taciturnus inertis
Aut fugies Uticam aut vinctus mitteris Ilerdam.
Ridebit monitor non exauditus, ut ille,
Qui male parentem in rupes protrusit asellum
Iratus: quis enim invitum servare laboret?
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.
Cum tibi sol tepidus pluris admoverit auris,
Me libertino natum patre et in tenui re
Maiores pinnas nido extendisse loqueris,

---

5. discedere *admodum pauci cum edit. Ven. an.* 1490, *improbante Bentleio.* 7. ubi quis *perpauci codd. exhibent, ut Paris.* 8213 A^{212}, *item editt. ante Bentleium, qui, omnium prope exemplarium praesidio fretus,* ubi quid *rectius esse affirmavit, adversantibus Rittero, Dillenburgero, Kruegero, aliis, in his etiam Kellero, qui cum in Epileg. p.* 689 *Bentleianam lectionem defendisset, postea cum Haeussnero* ubi quis *adsciscere non dubitavit.* 8. plenus cum *ex cod. Collegii Trinitatis Bentleius.* 10. deserat *plerique codd.*: deserit *perpauci, ut l pr. et Einsiedlensis* 361, *adprobavit Bentleius*: deseret *σ Paris.* 8218 *alii perpauci, quos potiores habuit Hirschfelderus.* 13. vinctus *omnes codd., si perpaucos excipias in quibus est illud* unctus *quod pleraeque editt. ante Bentleium expresserant atque ipse Nic. Heinsius defenderat.* 15. protrudit *unus Bland. Monac.* 14685 *alii perpauci.*

Ut, quantum generi demas, virtutibus addas;
Me primis urbis belli placuisse domique,
Corporis exigui, praecanum, solibus aptum,
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
Forte meum siquis te percontabitur aevum,
Me quater undenos sciat implevisse Decembris,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

---

24. solibus aptum *omnes ad unum codd., quos frustra multi deserere ausi sunt, ut coniecturarum libidini indulgerent.* 28. duxit *omnes codd.* : dixit *ex coniectura edidit Doeringius, cui obsecuti sunt Luc. Muellerus et Kellerus.*

Q. HORATI FLACCI
EPISTVLARVM
LIBER SECVNDVS

I

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.
Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux,
Post ingentia facta deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros adsignant, oppida condunt,
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis. Diram qui contudit hydram
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.
Urit enim fulgore suo, qui praegravat artis
Infra se positas; exstinctus amabitur idem.

II, 1. — 2. moribus ornes *codd.*: moenibus ornes *legendum esse suspicatus est Bentleius.* 6. facta *codd.*: fata *coniecit atque edidit Bentleius.*

Praesenti tibi maturos largimur honores
Iurandasque tuum per numen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus hic populus, sapiens et iustus in uno,
Te nostris ducibus, te Grais anteferendo,
Cetera nequaquam simili ratione modoque
Aestimat et, nisi quae terris semota suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit et odit,
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantis
Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum
Dictitet Albano Musas in monte locutas.
Si, quia Graecorum sunt antiquissima quaeque

16. nomen aγgφψλldπL *alii, item Servius ad Ecl.* I, 7; *receperunt editt. ante Bentleium, praeterea Doeringius, Holderus in edit. mai., Kruegerus, Dillenburgerus, alii*: numen *legendum esse cum Blandinio vetustiss. aliisque paucis, quibus adnumerandi sunt etiam* R *et Monac.* 14685, *optimis argumentis demonstravit Bentleius.* 17. nihil ortum aRγφψλldσ *alii.* 18, 19. hoc *pro eo quod est* hic *ex uno cod. Collegii Trinitatis Bentleius.* — in uno Te, *dempta distinctionis nota, complures edendum curaverunt, in his Ritterus, Kruegerus, Hirschfelderus, Kiesslingius, non improbante Mewesio, quasi sententia esset* in uno te ... anteferendo; *sed quominus* uno *cum* te *coniungatur impedit oppositum illud* Cetera *quod est in v.* 20, *ut recte animadvertit Dillenburgerus, frustra repugnante Kiesslingio.* — Grais *codd.*: Graiis *Bentleius.* 27. Dictitet *plerique codd.*: Doctitet *Monac.* 14685: Ductitet γ: Dicat et *vel* Dicit et *aliquot codd.* 28. Graiorum *pauci, in his* g *Monac.* 14685 *Reginensis cum Blandin. vetustiss., quod sine ulla controversia admittendum esse contendit Bentleius, suffragantibus Dillenburgero, Luc. Muellero, Kiesslingio, Sabbadinio, Mewesio, aliis.*: *ego vero cum plerisque libris scriptis Ritterum, Kruegerum, Holderum, Kellerum secutus sum.*

Scripta vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina, non est quod multa loquamur:
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri;
Venimus ad summum fortunae, pingimus atque
Psallimus et luctamur Achivis doctius unctis.
Si meliora dies, ut vina, poemata reddit,
Scire velim, chartis pretium quotus arroget annus.
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos veteresque referri debet an inter
Vilis atque novos? Excludat iurgia finis.
'Est vetus atque probus, centum qui perficit annos.'
Quid? qui deperiit minor uno mense vel anno,
Inter quos referendus erit? veteresne poetas,
An quos et praesens et postera respuat aetas?
'Iste quidem veteres inter ponetur honeste,
Qui vel mense brevi vel toto est iunior anno.'
Utor permisso, caudaeque pilos ut equinae
Paulatim vello et demo unum, demo etiam unum,
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit in fastos et virtutem aestimat annis

---

29. pensentur g, *opp. cett.* 31. oleam *scribendum esse omnium codd. consensus demonstrat*: olea *maluit Bentleius, cui obsecuti sunt Kruegerus, Luc. Muellerus, Kellerus, Kiesslingius, Sabbadinius.* 37. veteresne *complures, veluti* Rφψλ*l*dπ. 38. excludet *aut* excludit *admodum pauci.* 42. respuet φψλ*l Paris.* 8213 *alii pauci, improbante Bentleio, qui veram lectionem restituit, suffragantibus plerisque codd., ut* aγπLσβ *in ras. Blandin. vetustiss.*: *idem illud* respuit *repudiavit quod est in* g, *tribus Blandiniis, aliis paucis, in nonnullis denique veteribus editt.* 46. etiam aγgL²βσ *Monac.* 14685 *Paris.* 8213 *alii*: et item φψλd *alii pauci, adprobantibus Bentleio, Dillenburgero, Sabbadinio.* 48. infastus *vel* in fastus R¹πLa *cum paucis*: ad fastos *praetulerant editt. ante Bentleium, qui antiquissimorum codd. lectionem iure potiorem habuit.*

Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.
Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.
Naevius in manibus non est et mentibus haeret
Paene recens? Adeo sanctum est vetus omne poema!
Ambigitur quotiens uter utro sit prior, aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti,
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro,
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit et hos arto stipata theatro
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poetas
Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.
Interdum vulgus rectum videt; est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poetas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat:
Si quaedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere credit eos, ignave multa, fatetur,
Et sapit et mecum facit et Iove iudicat aequo.
Non equidem insector delendave carmina Livi
Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare; sed emendata videri
Pulchraque et exactis minimum distantia miror.

---

54. Paene recens? *interrogationis notam primus apposuit Bentleius, iterum deleverunt Doeringius et Ritterus veterem, quam plerique codd. praebent, distinctionem restituentes.* 60. ediscet RπL. 67. credit *uno fere consensu codd.*: cedit *ex cod. Collegii Trinitatis Bentleius.* 69. delendave *pauci, ut* γgβσ *cum Blandin. vetustiss.*: delendaque *ceteri.* — Laevi *praebent* aL *alii pauci, quibus obtemperandum esse censuit Bentleius.*

Inter quae verbum emicuit si forte decorum,
Si versus paulo concinnior unus et alter,
Iniuste totum ducit venditque poema.
Indignor quicquam reprehendi, non quia crasse
Compositum inlepideve putetur, sed quia nuper,
Nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posci.
Recte necne crocum floresque perambulet Attae
Fabula si dubitem, clament periisse pudorem
Cuncti paene patres, ea cum reprehendere coner,
Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit;
Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt,
Vel quia turpe putant parere minoribus, et, quae
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.
Iam Saliare Numae carmen qui laudat et illud,
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri,
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.
Quod si tam Graecis novitas invisa fuisset
Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet
Quod legeret tereretque viritim publicus usus?

---

73. decorum et *maior pars codd., cui paruerunt Ritterus, Dillenburgerus, Mewesius: omiserunt* et aγ *Monac.* 14685 *alii pauci, adprobante Bentleio.* 75. venitque *pro* venditque *ex cod. Reginensi Bentleius, repugnantibus ceteris libris scriptis.* 77. que *pro eo quod est* ve RgdπL *alii pauci.* 79. perambulat *complures codd., veluti* aRγgldπL, *oppositis* φψλ *aliis paucis.* 83. dicunt γπβ *alii pauci.* 85. Inberbi *contra omnium codd. auctoritatem, Cruquium et Bentleium imitati, plerique ediderunt:* Imberbi *maluerunt Kruegerus et Dillenburgerus:* Inberbes *vel* Imberbes *summa omnium codd. consensio commendat.* 90. *Pro* Graecis *Bentleius, invitis codd.,* Graiis *reposuit, quod perpaucis placuit, in his Luc. Muellero.* 91. haberes φψλldπ. 92. teneretq. φψλ*a. ras.*

Ut primum positis nugari Graecia bellis
Coepit et in vitium fortuna labier aequa,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum,
Marmoris aut eboris fabros aut aeris amavit,
Suspendit picta vultum mentemque tabella,
Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragoedis;
Sub nutrice puella velut si luderet infans,
Quod cupide petiit, mature plena reliquit.
Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonae ventique secundi.
Romae dulce diu fuit et sollemne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere iura,
Cautos nominibus rectis expendere nummos,
Maiores audire, minori dicere, per quae
Crescere res posset, minui damnosa libido.
Mutavit mentem populus levis et calet uno
Scribendi studio: pueri patresque severi
Fronde comas vincti cenant et carmina dictant.

---

98. Tunc φψλλdπ[1]. 101. *Hunc versum Lachmanni exemplum secuti inter v.* 107 *et v.* 108 *inseruerunt Kellerus, Luc. Muellerus, Kiesslingius, Mewesius, alii: nonnulli eum delendum esse iudicarunt: multi vero, ut Holderus in edit. mai., Ritterus, Kruegerus, Dillenburgerus, Hirschfelderus, Sabbadinius, iure ac merito codd. auctoritatem tutati sunt nec quidquam transponendum esse censuerunt.* 105. Cautos *codd., nisi quod Barthius se in vetustissimo suo illud* Scriptos *repperisse affirmavit quod postea edidit et defendit Bentleius.* — certis *pro* rectis *Paris.* 8213 *cum florilegio Nostradam. et plerisque libris editis ante Bentleium, qui suam Horatio lectionem reddidit.* 109. pueri patresque *omnes prope codd.*: puerique patresque *ex suis protulit Cruquius, plaudente Bentleio, qui id suavius et modulatius esse existimavit et Kiesslingio aliisque exemplum praebuit ad imitandum.*

Ipse ego, qui nullos me adfirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior et prius orto
Sole vigil calamum et chartas et scrinia posco.
Navem agere ignarus navis timet, habrotonum aegro
Non audet, nisi qui didicit, dare; quod medicorum est,
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri;
Scribimus indocti doctique poemata passim.
Hic error tamen et levis haec insania quantas
Virtutes habeat, sic collige. Vatis avarus
Non temere est animus; versus amat, hoc studet unum;
Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet;
Non fraudem socio puerove incogitat ullam
Pupillo; vivit siliquis et pane secundo,
Militiae quamquam piger et malus, utilis urbi,
Si das hoc, parvis quoque rebus magna iuvari.
Os tenerum pueri balbumque poeta figurat,
Torquet ab obscenis iam nunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus praeceptis format amicis,
Asperitatis et invidiae corrector et irae,
Recte facta refert, orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur et aegrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus et praesentia numina sentit,

---

114. Navim *admodum pauci, in his* γβ. 115, 116. quod medicorum est, Promittunt melici *fortasse legendum esse opinatus est Bentleius, tamen receptam lectionem servavit.* 122. pueroque R.

Caelestis implorat aquas docta prece blandus,
Avertit morbos, metuenda pericula pellit,
Impetrat et pacem et locupletem frugibus annum.
Carmine di superi placantur, carmine Manes.
Agricolae prisci, fortes parvoque beati,
Condita post frumenta levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris et coniuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit,
Libertasque recurrentis accepta per annos
Lusit amabiliter, donec iam saevus apertam
In rabiem coepit verti iocus et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento
Dente lacessiti; fuit intactis quoque cura
Condicione super communi; quin etiam lex
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
Describi: vertere modum formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.

---

135. blandos *cum paucis* aγLσ. 137. Imperat γd *alii perpauci*. 140, 141. *Illud* levantes *in suspicionem venit Nauckio; hac de causa versum* 141. *delendum esse censuit, non dissentiente Luc. Muellero, qui tamen* euhantes *pro* levantes *scribi posse sibi persuasit.* 142. et *ante* pueris *erasit Bentleius, suffragantibus* aRγgdπLσβ *aliis, oppositis vero* φψλ*l Paris.* 8213 *Monac.* 14685, *in quibus est* operum et pueris. 143. porca *ex Lambini coniectura Cuninghamus.* 145. inventa *codd.*: invecta *ex coniectura edidit Bentleius, probavit Luc. Muellerus.* 149. verti coepit φψλ*l alii perpauci.* 153. nata *complures codd., veluti* Rφψλ*l*dπβ[1]. 155. *Hunc versum ab Horatii manu profectum non esse contendit Nauckius, non improbante Luc. Muellero.*

Graecia capta ferum victorem cepit et artis
Intulit agresti Latio: sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius et grave virus
Munditiae pepulere; sed in longum tamen aevum
Manserunt hodieque manent vestigia ruris.
Serus enim Graecis admovit acumina chartis
Et post Punica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.
Temptavit quoque rem, si digne vertere posset,
Et placuit sibi, natura sublimis et acer:
Nam spirat tragicum satis et feliciter audet,
Sed turpem putat inscite metuitque lituram.
Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum, sed habet comoedia tanto
Plus oneris, quanto veniae minus. Aspice, Plautus
Quo pacto partis tutetur amantis ephebi,
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi,
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis,
Quam non adstricto percurrat pulpita socco.
Gestit enim nummum in loculos demittere, post
[hoc

159. peperere φψλldL *alii pauci.* 167. inscite Rφλldπβ *p. ras. cum tribus Blandiniis*: inscitae aψβ *a. ras.*: inscitiae a *corr.* γ *cum paucis*: inscriptis gL *Blandin. vetustiss. alii pauci cum quibus priscas, quas vocat, editi. congruere animadvertit Bentleius; harum autem lectionem* in scriptis *restituit Dillenburgerus*: inscitus *ex coniectura acceperat Bentleius.* 168. arcessit σdβ[2] *tres Blandinii alii pauci*: accersit aφψλlπ *alii*: accessit gLβ[1] *Paris.* 8218 *Monac.* 14685 *cum Blandin. vetustiss., atque hanc lectionem dignam quae accuratius expenderetur iudicavit Dillenburgerus.* 175. dimittere *maior pars codd.* — post haec *admodum pauci, in his* γ.

Securus, cadat an recto stet fabula talo.
Quem tulit ad scaenam ventoso Gloria curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat:
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum
Subruit aut reficit. Valeat res ludicra, si me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Saepe etiam audacem fugat hoc terretque poetam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,
Indocti stolidique et depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
Verum equitis quoque iam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos et gaudia vana.
Quattuor aut pluris aulaea premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmae peditumque [catervae;
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis,
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves,
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
Si foret in terris, rideret Democritus, seu
Diversum confusa genus panthera camelo,
Sive elephas albus vulgi converteret ora;
Spectaret populum ludis attentius ipsis,

---

180. aut *omnes paene codd.*: ac *e Reginensi et duobus aliis recepit Bentleius.* 186. plaudet *pro* gaudet Rφψλldπ *tres Blandinii alii*: plaudit λ *corr., probavit Orellius.* 187. equitis *uno ore clamant codd.*: equiti *coniecit atque edidit Bentleius, ratum habuit Meinekius.* 188. ingratos *pro eo quod est* incertos *protulit Bentleius, omnibus reclamantibus codd.*: *alii aliis coniecturis hunc locum temptaverunt.* 196. converterit *exstat in perpaucis codd., ut in* γ1 *et quibusdam Prisciani*; *sed a Bentleio praelatum est.*

Ut sibi praebentem nimio spectacula plura;
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo. Nam quae pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum,
Tanto cum strepitu ludi spectantur et artes
Divitiaeque peregrinae, quibus oblitus actor
Cum stetit in scaena, concurrit dextera laevae.
Dixit adhuc aliquid? Nil sane. Quid placet ergo?
Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne forte putes me, quae facere ipse recusem,
Cum recte tractent alii, laudare maligne:
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
Inritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus, et modo me Thebis, modo ponit Athenis.
Verum age et his, qui se lectori credere malunt
Quam spectatoris fastidia ferre superbi,
Curam redde brevem, si munus Apolline dignum
Vis complere libris et vatibus addere calcar,
Ut studio maiore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala saepe poetae
(Ut vineta egomet caedam mea), cum tibi librum
Sollicito damus aut fesso; cum laedimur, unum
Siquis amicorum est ausus reprehendere versum;

---

198. nimio aRgπ, *Monac.* 14685, *Montepess.*, *Paris.* 8216, *Blandin. vetustiss.*, *alii*: mimo γφψλldLβσ *Paris.* 8213 *alii multi, cum quibus cum veterum tum Bentleii, Orellii, Ritteri, aliorum editt. consentiunt.* 207. Terentino Raγdπβ *alii pauci.* 216. redde *omnes libri scripti, excepto cod. Collegii Trinitatis, unde* impende *sumpsit Bentleius.* 222. reprendere *cum perpaucis* σ, *probante Bentleio.*

Cum loca iam recitata revolvimus inrevocati;
Cum lamentamur non apparere labores
Nostros et tenui deducta poemata filo;
Cum speramus eo rem venturam, ut simul atque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas et egere vetes et scribere cogas.
Sed tamen est operae pretium cognoscere, qualis
Aedituos habeat belli spectata domique
Virtus, indigno non committenda poetae.
Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Choerilus, incultis qui versibus et male natis
Rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos.
Sed veluti tractata notam labemque remittunt
Atramenta, fere scriptores carmine foedo
Splendida facta linunt. Idem rex ille, poema
Qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
Edicto vetuit, nequis se praeter Apellen
Pingeret, aut alius Lysippo duceret aera
Fortis Alexandri vultum simulantia. Quodsi
Iudicium subtile videndis artibus illud
Ad libros et ad haec Musarum dona vocares,
Boeotum in crasso iurares aere natum.
At neque dedecorant tua de se iudicia atque

---

226. eo rem venturam aγgLσ *Monac.* 14685 *alii*: item fore venturum φψλldβ *Paris.* 8213 *alii pauci.* 233. Choerilos *maior pars codd.*: *formam in* us *desinentem exhibent sine ulla correctione* aγgσβ *alii pauci.* 239. Apellem R *cum aliis perpaucis, adprobantibus Dillenburgero, Luc. Muellero, Sabbadinio.* 240. duceret *omnes ad unum codd.*: cuderet *ex coniectura proposuit Lambinus, recepit Bentleius.*

Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Vergilius Variusque poetae;
Nec magis expressi vultus per aenea signa,
Quam per vatis opus mores animique virorum
Clarorum apparent. Nec sermones ego mallem
Repentis per humum quam res componere gestas,
Terrarumque situs et flumina dicere et arces
Montibus impositas et barbara regna tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem
Claustraque custodem pacis cohibentia Ianum
Et formidatam Parthis te principe Romam,
Si, quantum cuperem, possem quoque; sed neque [parvum
Carmen maiestas recipit tua nec meus audet
Rem temptare pudor quam vires ferre recusent.
Sedulitas autem stulte, quem diligit, urget,
Praecipue cum se numeris commendat et arte:
Discit enim citius meminitque libentius illud
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.
Nil moror officium, quod me gravat, ac neque ficto
In peius vultu proponi cereus usquam
Nec prave factis decorari versibus opto,
Ne rubeam pingui donatus munere et una
Cum scriptore meo capsa porrectus operta
Deferar in vicum vendentem tus et odores
Et piper et quicquid chartis amicitur ineptis.

---

247. Vergilius R¹β. – Varus *praebent* φψλldσπL *Blandin. vetustiss. alii.* 262. Discet *Blandin. vetustiss.*: Dicit *l pr.*: Discit *ceteri.* 268. aperta *cum perpaucis codd. Dillenburgerus.* – tus *complures codd., in his* agdβL, *omnes Cruquiani*: thus φψλlσπ *alii.* 270. inemptis *pro* ineptis *unus Feae, alii perpauci.*

II

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
Siquis forte velit puerum tibi vendere natum
Tibure vel Gabiis et tecum sic agat: 'Hic et
Candidus et talos a vertice pulcher ad imos
Fiet eritque tuus nummorum milibus octo,
Verna ministeriis ad nutus aptus erilis,
Litterulis Graecis imbutus, idoneus arti
Cuilibet, argilla quidvis imitaberis uda;
Quin etiam canet indoctum sed dulce bibenti.
Multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo
Laudat venalis qui vult extrudere merces.
Res urget me nulla; meo sum pauper in aere.
Nemo hoc mangonum faceret tibi: non temere a me
Quivis ferret idem. Semel hic cessavit et, ut fit,
In scalis latuit metuens pendentis habenae:'
Des nummos, excepta nihil te si fuga laedat:

II, 2. — 8. imitaberis agL$\beta^1\sigma$ *Monacensis* 14685 *omnes Blandinii alii*: imitabitur $\lambda l d \beta^2 \pi^2$ *alii pauci*; *qua de re audiendus est Pseudo-Acron* « *Quidam* imitabitur *legunt, quod est a puero alienum. Melius ergo legimus* imitaberis.... *Et in veteribus exemplaribus* imitaberis *invenitur* »: imitabimur R$\phi\psi\pi^1$. 11. extrudere agL$\beta\sigma$ *Monac.* 14685 *alii*: excludere *multi, velut* R$\phi\psi\lambda l d \pi$ *quattuor Blandinii*. 15, 16. *Mangonis orationem versu* 15 *terminari recte, nisi fallor, intellexerunt Kruegerus, Dillenburgerus, Holderus, Kellerus, Kiesslingius, Sabbadinius, dissentientibus Rittero, Luc. Muellero, Hirschfeldero, Mewesio, qui etiam v.* 16 *illi tribuerunt.* — laedat *scripsi omnibus fere codd. obtemperans, quamquam plerique interpretes, Bentleium imitati, ex Blandin. vetustissimo* laedit *acceperunt.*

Ille ferat pretium poenae securus, opinor.
Prudens emisti vitiosum; dicta tibi est lex:
Insequeris tamen hunc et lite moraris iniqua?
Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum, ne mea saevus
Iurgares ad te quod epistula nulla rediret.
Quid tum profeci, mecum facientia iura
Si tamen attemptas? Quereris super hoc etiam, quod
Exspectata tibi non mittam carmina mendax.
Luculli miles collecta viatica multis
Aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat: post hoc vehemens lupus, et sibi et hosti
Iratus pariter, ieiunis dentibus acer,
Praesidium regale loco deiecit, ut aiunt,
Summe munito et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum donis ornatur honestis,
Accipit et bis dena super sestertia nummum.
Forte sub hoc tempus castellum evertere praetor
Nescio quod cupiens hortari coepit eundem
Verbis, quae timido quoque possent addere mentem:
'I, bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto,
Grandia laturus meritorum praemia. Quid stas?'
Post haec ille catus, quantumvis rusticus 'ibit,
Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit' inquit.
Romae nutriri mihi contigit atque doceri,

---

22. epistula aRπ *Blandin. vetustiss.*: epistola *maior pars codd.* — veniret *nonnulli, in his* φψλl *Paris.* 8218. 32. ornatus *perpauci cum* πL *corr.* — opimis *pro* honestis *admodum pauci, velut* g *et* *Blandin. vetustiss.* 36. menteis *Blandin. vetustiss., refragantibus cett.*: mentis *coniecit Ribbeckius.*

Iratus Grais quantum nocuisset Achilles.
Adiecere bonae paulo plus artis Athenae,
Scilicet ut vellem curvo dinoscere rectum
Atque inter silvas Academi quaerere verum.
Dura sed emovere loco me tempora grato
Civilisque rudem belli tulit aestus in arma
Caesaris Augusti non responsura lacertis.
Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pinnis inopemque paterni
Et laris et fundi paupertas impulit audax
Ut versus facerem: sed quod non desit habentem
Quae poterunt umquam satis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem quam scribere versus?
Singula de nobis anni praedantur euntes;
Eripuere iocos, venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poemata: quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amantque:
Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,
Ille Bioneis sermonibus et sale nigro.
Tres mihi convivae prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod iubet alter;
Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.

---

44. vellem ag *Monac.* 14685 *Paris.* 8214 *Montepessul. alii pauci, probantibus Holdero, Kellero, Kruegero, Hirschfeldero, Kiesslingio, Sabbadinio, Mewesio*: possim *exhibent plerique codd.*: possem *perpauci, ut* σβ, *quos potiores habuerunt Bentleius, Dillenburgerus, Luc. Muellerus.* 49. Philippis φψλ*l*. 57, 58. quid faciamus gβ *cum paucis*: quid faciam vis Denique? *cum Doederlino interpunxit Holderus in edit. mai.* 63. renuis tu quod agδLβσ *alii*: renuis quod tu Rφψλ*l*π *alii, quibus paruerunt Bentleius et Kiesslingius.*

Praeter cetera me Romaene poemata censes
Scribere posse inter tot curas totque labores?
Hic sponsum vocat, hic auditum scripta, relictis
Omnibus officiis; cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino, visendus uterque:
Intervalla vides humane commoda. 'Verum
Purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet.'
Festinat calidus mulis gerulisque redemptor,
Torquet nunc lapidem nunc ingens machina tignum,
Tristia robustis luctantur funera plaustris,
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus:
I nunc et versus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbem,
Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra:
Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere et contracta sequi vestigia vatum?

---

70. humane *aliquot codd., veluti* gφψλ *Paris.* 8218: humanae *ceteri*: haud sane *coniecit Froehlichius, suffragante Kellero, qui tamen* haut *per* t *litteram scribere maluit*: hau sane *probavit Luc. Muellerus*: *alii alia excogitarunt.* 71. Purae *pauci, in his* aLβσ *omnes Blandinii*: Plures *maior pars codd.* 77. urbem aLβσ *Monac.* 14685 *Paris.* 8213 *alii pauci*: urbes *ceteri, receperunt Bentleius, Ritterus, Luc. Muellerus, Dillenburgerus, Hirschfelderus, alii, quorum nonnulli* urbis, *invitis codd., scribere voluerunt.* 80. contracta *Monac.* 14685 *cum perpaucis* (*cfr. Porphyr. ad h. l., edit. Hauthal*: « *Legitur et* contracta, *caute inpressa, ut ea sequendo contigerit imitator* »): contacta *plerique codd., probante Dillenburgero*: non tacta *coniecit atque edidit Bentleius*: cantata *habuit Blandin. vetustiss., quod quidem sibi inprimis placuisse dixit Cruquius*: *sunt praeterea in paucis codd. alias lectiones, ut* contexta, cunctata, cinctuta, tractata.

Ingenium, sibi quod vacuas desumpsit Athenas
Et studiis annos septem dedit insenuitque
Libris et curis, statua taciturnius exit
Plerumque et risu populum quatit: hic ego rerum
Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis
Verba lyrae motura sonum conectere digner?
Frater erat Romae consulti rhetor, ut alter
Alterius sermone meros audiret honores,
Gracchus ut hic illi, foret hic ut Mucius illi.
Qui minus argutos vexat furor iste poetas?
Carmina compono, hic elegos. Mirabile visu

---

83. curis *maior pars codd.*: curii λlδπβ *alii pauci*: *Porphyrion autem « Nam* CVRIVS *ob severitatem taciturnissimus fuit »*. 87. *Hunc et insequentes versus usque ad v.* 140 *e sede sua removit Daniel Heinsius et in Epistulam huius libri priorem ita traduxit, ut versum* 229 *exciperent*: *Boivinus autem Heinsio ex parte indulgens eos post v.* 118 *eiusdem Epistulae collocavit, utrique adversante Bentleio, qui, quamquam Horatium scripsisse suspicatus est* Pactus erat Romae consulto rethor, *tamen a vulgata lectione abscedere noluit. — Post illud* rhetor *Meinekius aliquid excidisse sicque propemodum lacunam explendam esse censuit* uterque Alterius laudum sic admirator, *quod et Luc. Muellero et Kellero ad verum proxime accedere visum est. Ceterum nonnihil supplendum esse iam coniecerat Daniel Heinsius.* 89. foret hic ut Mucius illi *habent omnes codd.*; *receperunt etiam libri typis exscripti, probante Rittero. Britannici vero editio an.* 1516 *exhibet* foret huic ut Mucius ille, *quod et Lambino et Bentleio et omnibus prope recentioribus ita in deliciis fuit, ut codd. testimonio refragari et Britannici emendationem veris Horatii verbis inserere non dubitaverint. A Rittero autem hoc tantum dissentio, quod ante* foret *distinguendum esse puto.* 90. vexat *omnes ad unum codd.*: versat *ex coniectura edidit Bentleius.*

Caelatumque novem Musis opus! Aspice primum,
Quanto cum fastu, quanto molimine circum
Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem:
Mox etiam, si forte vacas, sequere et procul audi,
Quid ferat et quare sibi nectat uterque coronam.
Caedimur et totidem plagis consumimus hostem
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Discedo Alcaeus puncto illius; ille meo quis?
Quis nisi Callimachus? si plus apposcere visus,
Fit Mimnermus et optivo cognomine crescit.
Multa fero, ut placem genus inritabile vatum,
Cum scribo et supplex populi suffragia capto:
Idem finitis studiis et mente recepta
Obturem patulas impune legentibus auris.
Ridentur mala qui componunt carmina; verum
Gaudent scribentes et se venerantur et ultro,
Si taceas, laudant quicquid scripsere beati.
At qui legitimum cupiet fecisse poema,
Cum tabulis animum censoris sumet honesti;
Audebit, quaecumque parum splendoris habebunt
Et sine pondere erunt et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis invita recedant

92-94. Caelatum (*vel* Celatum) *praebent omnes codd.*, *pro quo Bentleius* Sacratum *substituit*; *idem totum locum sic distinxit*, *ut* opus *ad verbum* Spectemus *referretur*, *tamquam ordo esset* Aspice, cum quanto fastu circumspectemus opus e. q. s. 98. ad lumina prona *duo Blandinii*; *sed vetustissimus* ad lumina prima *per lituram habuit*, *quod quidem est etiam in ceteris codd.* 105. auras δ *cum perpaucis.* 110. sumet censoris g, *opp. ceteris.* 112. ferentur Bφψλlπ *Paris.* 8213: feruntur aδLβσ *alii multi*, *adprobante Rittero*: fruentur *coniecit Horkelius.*

Et versentur adhuc inter penetralia Vestae.
Obscurata diu populo bonus eruet atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
Quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis
Nunc situs informis premit et deserta vetustas;
Adsciscet nova, quae genitor produxerit usus.
Vemens et liquidus puroque simillimus amni
Fundet opes Latiumque beabit divite lingua;
Luxuriantia compescet, nimis aspera sano
Levabit cultu, virtute carentia tollet,
Ludentis speciem dabit et torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.
Praetulerim scriptor delirus inersque videri,
Dum mea delectent mala me vel denique fallant,
Quam sapere et ringi? Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragoedos
In vacuo laetus sessor plausorque theatro,
Cetera qui vitae servaret munia recto
More, bonus sane vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis
Et signo laeso non insanire lagoenae,
Posset qui rupem et puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus

---

114. inter *omnes codd., excepto* R^1 *qui* in *habet*: intra *vulgata lectio est, quam omnes prope libri editi proferunt, improbantibus Holdero et Kellero, quibus assentior. Cfr. Kelleri Epileg., p.* 725 *sq.* 123. carentia σβg *Paris.* 8218 λ *corr.* l^2 *alii pauci*: calentia Rφψλ *pr.* l^1δπ, *quattuor Blandinii, alii, defensore Bothio.* 127. delectant *admodum pauci, ut* δg *Paris.* 8218. 135. parentem *pro* patentem φψλlδπ.

Expulit elleboro morbum bilemque meraco
Et redit ad sese 'pol me occidistis, amici,
Non servastis' ait, 'cui sic extorta voluptas
Et demptus per vim mentis gratissimus error.'
Nimirum sapere est abiectis utile nugis,
Et tempestivum pueris concedere ludum,
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed verae numerosque modosque ediscere vitae.
Quocirca mecum loquor haec tacitusque recordor:
Si tibi nulla sitim finiret copia lymphae,
Narrares medicis: quod, quanto plura parasti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?
Si vulnus tibi monstrata radice vel herba
Non fieret levius, fugeres radice vel herba
Proficiente nihil curarier. Audieras, cui
Rem di donarent, illi decedere pravam
Stultitiam, et, cum sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior es, tamen uteris monitoribus isdem?
At si divitiae prudentem reddere possent,
Si cupidum timidumque minus te, nempe ruberes,
Viveret in terris te siquis avarior uno.
Si proprium est, quod quis libra mercatus et aere est,
Quaedam, si credis consultis, mancipat usus,
Qui te pascit ager, tuus est, et vilicus Orbi,

---

150. *Hunc versum omiserunt* Rψλlπ *alii pauci.* 152. donarent *codd.*: donarint *ex coniectura Bentleius.* 154. *Pro* monitoribus *praebent* rationibus *vel* racionibus *perpauci, in his* β. 158. mercatus et aere est aσβ *Monac.* 14685 *Blandin. vetustiss. alii pauci*: mercatus et aere RπL: mercatur et aere φψλlδg *Paris.* 8218, *receperunt Luc. Muellerus et Sabbadinius*: quicquid (*pro* quod quis) libra mercamur et aere *tres Blandinii.*

Cum segetes occat tibi mox frumenta daturas,
Te dominum sentit. Das nummos, accipis uvam,
Pullos, ova, cadum temeti. Nempe modo isto
Paulatim mercaris agrum, fortasse trecentis
Aut etiam supra nummorum milibus emptum.
Quid refert, vivas numerato nuper an olim?
Emptor Aricini quondam Veientis et arvi
Emptum cenat holus, quamvis aliter putat; emptis
Sub noctem gelidam lignis calefactat aenum:
Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
Limitibus vicina refugit iurgia; tamquam
Sit proprium quicquam, puncto quod mobilis horae
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc morte [suprema

161. daturas λlδπLφ *pr.* ψ *pr. quattuor Blandinii, alii, restituit Bentleius; quamquam illud* daturus *non contempsit quod exhibent complures codd., veluti* Ragβσφ *corr.* ψ *corr. Paris.* 8218, *quodque defendunt Kellerus et Holderus.* 163. modo sto *Horatium dedisse persuasum habuit Lachmannus, omnibus reclamantibus codd.* 167. quondam ψ *superscr., Parisini* 8218, 8214 *ab alt. m.,* 8216 *corr., alii pauci:* quoniam *plerique codd., in his omnes Blandinii, recepit Cruquius, non improbavit Dillenburgerus, dummodo, « commate posito post v.* 166 » *interrogationis nota in fine versus* 169 *collocaretur; Dillenburgero autem primum assensus est Kellerus, postea cum Haeussnero* quondam *reposuit.* 170. quia *pro* qua R *et Monac.* 14685, *opp. cett.* 171. refugit *omnes paene codd., suffragante Servio:* refigit *Paris.* 8213 *cum perpaucis, quibus obtemperavit Bentleius:* refligit *coniecit sed non edidit Holderus:* refringit *Horkelius: alii alia opinionum commenta in medium attulerunt.* 173. morte *codd.:* sorte *supposuit Aldus, receperunt omnes post eum et ante Bentleium editt., retinuerunt etiam Doeringius et pauci recentiores.*

Permutet dominos et cedat in altera iura.
Sic quia perpetuus nulli datur usus, et heres
Heredem alterius velut unda supervenit undam,
Quid vici prosunt aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adiecti Lucani, si metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes Gaetulo murice tinctas
Sunt qui non habeant, est qui non curat habere.
Cur alter fratrum cessare et ludere et ungi
Praeferat Herodis palmetis pinguibus, alter
Dives et importunus ad umbram lucis ab ortu
Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum,
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturae deus humanae, mortalis in unum
Quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.
Utar et ex modico, quantum res poscet, acervo
Tollam nec metuam, quid de me iudicet heres,
Quod non plura datis invenerit; et tamen idem
Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
Discrepet et quantum discordet parcus avaro.
Distat enim, spargas tua prodigus, an neque
[sumptum

174. Permutat R *cum Floril. Nostradam.* – cedet φψλ: caedet *l.* 175. Sic g *Paris.* 8214 *alii pauci:* Si *plerique: perpauci habent* Sed. 176. alterius *codd.*: alternis *ex coniectura edidit Bentleius, ratum habuit Luc. Muellerus.* 182. curat *magno consensu codd.*: curet *nescio unde in plurimas ante Bentleium editt. illapsum est.* 188. mortalis *omnes ad unum codd.*: immortalis *coniecit Hartungius*: fatalis *Ribbeckius.* 193. volam *omnes fere codd.*: volo g.

Invitus facias neque plura parare labores,
Ac potius, puer ut festis Quinquatribus olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies immunda domus procul absit: ego utrum
Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.
Non agimur tumidis velis Aquilone secundo:
Non tamen adversis aetatem ducimus Austris,
Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re
Extremi primorum, extremis usque priores.
Non es avarus: abi. Quid? Cetera iam simul isto
Cum vitio fugere? Caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine et ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaque Thessala rides?

---

199. domus procul absit aglLβσ *Monac.* 14685 *Paris.* 8213 *alii multi*: domus procul, *omisso* absit, R[1]: procul, *omissis* domus *et* absit, φψλδπ: procul domus absit *cod. Collegii Trinitatis, item priscae, quas vocat Bentleius, editt.*: procul procul absit *unus Pulmanni, quem secutus est Bentleius*: modo procul absit *maluit Gesnerus, probante Meinekio*: modo ut procul absit *ex Iecpii coniectura Kruegerus*: tamen procul absit *coniecit atque edidit Luc. Muellerus*: procul demum absit *Sabbadinius*: Pauperies, immunda domus, procul absit *distinxit Doeringius*, domus *nominativo casu accipiendum esse putans.* 203. *Pro* loco re *habent* colore φψλlδπL: Iocore R. 205, 206. *Post* avarus *interrogandi signum exhibent* δL *alii pauci*: *post* Quid *distinguunt* φψλld *Bruxell. alii*; *non interpungunt* aδL: quid cetera? *duo Blandinii, omissa post* fugere *interrogationis, sed posita distinctionis nota*: Quid cetera, iam simul isto Cum vitio fugere? *Kiesslingius et Mewesius.* — num *pro* iam *cum Floril. Nostrad. Muretus.* — *Pro eo quod est* fugere *exstat* fuge rite *in* agβσ *quattuor Blandiniis aliis, probavit Bentleius in curis novissimis.*

Natalis grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior et melior fis accedente senecta?
Quid te exempta levat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis atque bibisti:
Tempus abire tibi est, ne potum largius aequo
Rideat et pulset lasciva decentius aetas.

---

210. Fataleis *pro* Natalis *duo codd. apud Cruquium.* 212. iuvat *exhibent quidem omnes paene codd.*, *sed* levat, *quod Bambergensis quoque et unus Feae praebent, iure ac merito ex tribus Blandiniis recepit Bentleius, cui plerique hodie assentiuntur, refragantibus Holdero et Kellero.* 216. licentius *pro* decentius *admodum pauci, in his Paris.* 8218 *et vetustissimus Barthii, qui illam lectionem amplexus est, repugnante Bentleio:* frequentius *coniecit Nic. Heinsius.*

Q. HORATI FLACCI

DE ARTE POETICA

LIBER

HUMANO capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit et varias inducere plumas
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis, amici?
Credite, Pisones, isti tabulae fore librum
Persimilem, cuius, velut aegri somnia, vanae

ARS POET. — 2. plumas *omnes prope codd.*: pennas *cod. Regius Bentleii qui pro vulgata, quam tuemur, lectione* formas *legendum esse censuit. Eius coniecturam improbavit Peerlkampus.* 3, 4. collectis *pro* collatis *vel* conlatis *admodum pauci, in his Paris.* 8218. — atrum... piscem *codd.*: atram... pristim *a poetae manu profectum esse suspicati sunt Gronovius pater et Nic. Heinsius, suffragante cod. Helleriano, qui* pristin *exhibet; id vero a glossa ortum esse ex Pseudo-Acronis explanatione apparet* « in piscem. *Hoc est, in marinam beluam, id est, in pistricem* ». *Quare nihil hoc loco emendandum esse inter omnes nunc convenit et ipse Bentleius sensit.* 5. missi B *Monac.* 14685, *opp. cett.* 7. aegri φψλιδσ *Monac.* 14685 *tres Blandinii, alii multi*: aegris *aliquot codd., ut* $a^{1}BR^{1}$ *unus Blandin. Paris.* 8213 (egris), *recepit et defendit Kellerus; sed melius inter se respondere* cuius species *et* aegri somnia *animadvertit Mewesius.*

Fingentur species, ut nec pes nec caput uni
Reddatur formae. 'Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.'
Scimus, et hanc veniam petimusque damusque
[vicissim;
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis gravibus plerumque et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Adsuitur pannus, cum lucus et ara Dianae
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros
Aut flumen Rhenum aut pluvius describitur arcus:
Sed nunc non erat his locus. Et fortasse cupressum
Scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, aere dato qui pingitur? Amphora coepit
Institui: currente rota cur urceus exit?
Denique sit quod vis, simplex dumtaxat et unum.
Maxima pars vatum, pater et iuvenes patre digni,
Decipimur specie recti. Brevis esse laboro,

---

10. Quidlibet *codd.*: Scilicet *maluit Peerlkampus.* 18. Rheni *vel* Reni *Parisini* 7973, 8213 *alii perpauci.* — fluvius *pro eo quod est* pluvius *pauci a m. pr., ut* φψλlδ, *item* τ *pr. et* π. 20, 21. expers φψlδπτ *alii pauci.* — Quid hoc, si, ut fractis innatet exspes Navibus aere dato quis pingitur *Horatium scripsisse coniecit Peerlkampus.* 23. quod vis Bγφψλlβσ *alii, patrocinante Peerlkampo*: quodvis *aliquot codd., veluti* aRδπLτ, *recepit Ritterus, existimans hoc verbum idem omnino valere ac* quidvis; *plerique vero* quidvis *scribunt, quod ex tribus codd. suis deprompsit Bentleius. Ego cur a vulgata lectione recedendum sit nullam causam video.* 25. recti specie τ, *opp. cett.*

Obscurus fio; sectantem levia nervi
Deficiunt animique; professus grandia turget;
Serpit humi tutus nimium timidusque procellae;
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis adpingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Aemilium circa ludum faber imus et unguis
Exprimet et mollis imitabitur aere capillos,
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet: hunc ego me, siquid componere curem,
Non magis esse velim, quam naso vivere pravo
Spectandum nigris oculis nigroque capillo.
Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant umeri. Cui lecta potenter erit res,

---

26. levia *uno fere consensu codd.*: lenia *ex cod. Achillis Statii recepit Bentleius, adprobavit Peerlkampus.* 29. cupit, rem prodigialiter unam, *distinguendum esse censuit Ieepius, cui obsecutus est Kruegerus. Huiusmodi autem distinctionem, qua* rem *ad* Delphinum *et* aprum *apponitur, etiam Kellerus primum probavit, deinde vero vulgatam interpunctionem restituit.* 31. culpae ducit *Paris.* 7973. 32. imus *omnes paene codd. praebent, item Pseudo-Acron et Porphyrion, adversantibus perpaucis, in his* δ1, *ex quibus* unus *adsumpsit Bentleius*; *hoc autem* unus *amplexi sunt Peerlkampus, Orellius, Hirschfelderus, Kellerus in Epil., p.* 786 *et in edit. quam cum Haeussnero curavit.* 34. operis, summa: quia *distinxit Bentleius.* 35. Nesciat *admodum pauci, velut* βσ. – egomet φψδτ *alii pauci.* 36. naso vivere pravo *ex omnibus codd. reposuit Bentleius*: pravo vivere naso *editt. vett.* – *Pro eo quod est* pravo *exhibent* parvo λ *pr.* δπ. 37. nigrove B *et Monacensis* 14685. 40. *Non* potenter, *quod in codd. est, sed* pudenter *Horatium edidisse coniecit Marklandus, improbante Peerlkampo.*

Nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.
Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici,
Pleraque differat et praesens in tempus omittat;
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
In verbis etiam tenuis cautusque serendis
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura novum. Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum, et
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget dabiturque licentia sumpta pudenter,
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si

---

41. deserit Lστ *pr. alii perpauci.* 42. aut aRγπLβσ *alii:* haud Bφδ *Paris.* 7978 *alii pauci:* haut, *erasa littera* h, *praebent* ψ *Paris.* 8218 *Monac.* 14685. 43, 44. dicat, iam nunc debentia dici Pleraque *cum paucis codd. distinxerunt complures editt. vett.: ego Lambinum, quem post Peerlkampum plerique sequuntur, recte interpunxisse arbitror. Animadvertendum tamen est Peerlkampum sic potius ab Horatio scriptum esse iudicasse* Ut iam nunc dicat iam non debentia dici, Pleraque e. q. s. 45, 46. *Ordinem versuum, quem omnes codd. exhibent, cum Holdero, Mewesio, aliis paucis restitui: v.* 46 *ante v.* 45 *collocavit Bentleius, cui plurimi obtemperandum esse censuerunt, in his Peerlkampus, Dillenburgerus, Kruegerus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus, Kiesslingius, Kellerus.* 48. Si, ubi forte necesse est, *maluit, adversantibus codd., Peerlkampus.* 49. rerum et *Hanc omnium prope codd. scripturam, quam cum Bentleio plurimi reiecerunt, ut* rerum *ederent, quemadmodum est in* B *aliisque perpaucis, nuper iure ac merito defendit Mewesius; nam* « et fingere continget... et ficta habebunt fidem *optime inter se cohaerent ac* dabiturque licentia = licebit *cum praecedenti* continget *facillime coniungitur* ». 51. Contigerit *coniecit Peerlkampus.* 52. facta *a Fabricii codd. adscivit Bentleius:* ficta *habent ceteri libri scripti.* — si *codd.:* et si, *...ritis codd., Madvigius:* seu *ex coniectura edidit Luc. Muellerus.*

Graeco fonte cadent parce detorta. Quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus ademptum
Vergilio Varioque? Ego cur, adquirere pauca
Si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit semperque licebit
Signatum praesente nota producere nomen.
Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.
Debemur morti nos nostraque. Sive receptus
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
Regis opus, sterilisve diu palus aptaque remis

---

53. cadant aγβ *alii pauci*. – arte *pro* parce B, *opp. cett.* 55. Vergilio R[1] *et fortasse* γ: Virgilio *ceteri*. – Varoque φψλlδβστ *alii multi, opp.* BRaγπL *aliis paucis*. 59. producere nomen *ab Horatii manu profectum esse omnes fere codd. testantur. Bentleius vero ex perpaucis codd.* procudere, *praeterea ex coniectura Francisci Luisini* nummum *edere maluit: contra Peerlkampus totum versum sic emendandum esse existimavit* Signatum haud praesente nota procudere nomen. 60, 61. silvae foliis pronos *codd.*: silvis folia privos, *reclamantibus codd., protulit Bentleius: item Peerlkampus, refragantibus codd., haec Horatio tribuenda esse contendit* Ut modo, cum silvae privos mutantur in annos, Folia cadunt. 62. vigentque *omnes fere codd.*: virentque *ex uno cod. Fea, adprobante Peerlkampo.* 63. Debemus *perpauci, ut* Bτ *a. ras., adde plerosque Prisciani codd. et duos Servii, improbante Peerlkampo, qui pro* Debemur morti *Horatium* Mutamur formam *scribere potuisse opinatus est.* 65. Regis *omnes ad unum codd.*: Regium *maluit Meinekius*: Urbis *verius esse iudicavit Peerlkampus.* – sterilisque Bφψλ*l*Lβσ *Paris.* 7978 *alii*. – diu palus *codd.*: palus prius *ex coniectura edidit Bentleius, commendavit Peerlkampus*: sterilisque palus pulsataque

Vicinas urbes alit et grave sentit aratrum,
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius, mortalia facta peribunt;
Nedum sermonum stet honos et gratia vivax.
Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.
Res gestae regumque ducumque et tristia bella
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos;
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armavit iambo:
Hunc socci cepere pedem grandesque coturni,
Alternis aptum sermonibus et popularis

---

remis *maluit Marklandus*: palus diu *proposuit I. M. Gesnerus, cui paruerunt Dillenburgerus, Holderus, Hirschfelderus, Kiesslingius*; *receperat etiam Kellerus, sed postea cum Haeussnero librorum scriptorum lectionem restituit, quam Ritterus, Kruegerus, Mewesius, alii, non repudiandam esse ostenderunt*: sterilisve palus olim aptaque remis *coniecit Peerlkampus*: sterilisve palus agitataque remis *emendandum esse suspicatus est Luc. Muellerus*: *sunt aliorum coniecturae, quas praetermitto.* 67. Arnus *pro* amnis *unus cod. D'Orvillii.* 68. cuncta *pro eo quod est* facta *edidit Bentleius, adversantibus omnibus codd., excepto Galeano, qui eius coniecturam firmavit*: saecla *melius ad sententiam facere persuasum habuit Peerlkampus.* 72. vis *pro* ius *perpauci, velut* Rτ. — arbitrum *legere maluit Wakefieldus, improbante Peerlkampo.* 76. inclusa est BγσβL² (est *omisit* L¹) *alii*: iuncta est *cum paucis Parisini* 7978, 8213: iunctis φψλιδτπ *corr.*: iunctus Rπ *pr.* 77. commiserit *quidam Feae codd., libens accepit Peerlkampus.* 80. coturni *omnes Kelleri codd.*

Vincentem strepitus et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus divos puerosque deorum
Et pugilem victorem et equum certamine primum
Et iuvenum curas et libera vina referre.
Descriptas servare vices operumque colores,
Cur ego si nequeo ignoroque poeta salutor?
Cur nescire pudens prave quam discere malo?
Versibus exponi tragicis res comica non vult:
Indignatur item privatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari cena Thyestae.
Singula quaeque locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore;
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus et Peleus, cum pauper et exsul uterque
Proicit ampullas et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querella.
Non satis est pulchra esse poemata: dulcia sunto

92, 93. decenter *omnes fere codd.*: decentem B *Blandin. vetustiss. cum alio Cruquiano et Vigorniensi Bentleii qui hanc lectionem praetulit, assentientibus Rittero, Dillenburgero, Luc. Muellero, Hirschfeldero, Kiesslingio, Mewesio, aliis multis. — Distinctionem mutavit Peerlkampus, ut legeretur* teneant sortita: decenter Interdum e. q. s. 95-99. *Fuerunt qui, ut Doeringius, Peerlkampus, Ritterus, alii, post* pedestri *puncto, quod vocant, distinguerent; quorum ad sententiam nuper accessit Kiesslingius, qui cum* pedestri, Telephus *interpungeret, vocem* tragicus *a* Telephus *ita distraxit, ut illam de poeta tragico acciperet et* tragicus dolet *cum* Si curat cor tetigisse *coniungeret: Peerlkampus autem minime dubitavit quin haec vera esset distinctio* Telephus et Peleus, cum pauper et exsul, uterque Proicit... verba. Si curas ... querela, Non satis e. q. s. *Cete-*

Et, quocumque volent, animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus: si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia laedent,
Telephe vel Peleu; male si mandata loqueris,
Aut dormitabo aut ridebo. Tristia maestum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciva, severum seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, iuvat aut impellit ad iram,
Aut ad humum maerore gravi deducit et angit;
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.

---

rum illud curas *paucorum codd. auctoritate nititur, quorum in numerum referendi sunt Parisini* 7978, 8218, 8214, 8216. *Praeterea pro* et Peleus *Bentleius, reclamantibus codd.*, aut Peleus *scribere voluit.* 100. Volunt *complures codd., ut* φψλlδπσ, *opp.* aBγLβ *aliis.* 101. adsunt *codd.*: adfient, *quod iam Michael Piccartus, Theodorus Marcilius, Tanaquillus Faber legerant, ex grammatico quodam anonymo, quem vocat, bibliothecae Vigorniensis recepit Bentleius, cuius exemplum imitati sunt Peerlkampus, Luc. Muellerus, Kiesslingius, alii pauci.* 102. si vis me flere *codd.*: me visne dolere? *somniavit Peerlkampus.* 108. tum *pro* tunc B *et Monac.* 14685, *probantibus Luc. Muellero et Kiesslingio.* — laedunt *admodum pauci, veluti* λl. 104. mala πτ *cum perpaucis.* 105, 106. *Pro* Tristia maestum Vultum verba decent *Peerlkampus reponendum esse coniecit* Tristia maestum, Laetum urbana decent. 111. effert *maior pars codd.*: efferet B: et certi Rφψλlπτ *alii.* 113. equites peditesque *codd.*: equitesque patresque *ex coniectura protulit Bentleius, idque omnes veritatis numeros habere affirmavit Peerlkampus.*

Intererit multum, divusne loquatur an heros,
Maturusne senex an adhuc florente iuventa
Fervidus, et matrona potens an sedula nutrix,
Mercatorne vagus cultorne virentis agelli,
Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.
Aut famam sequere aut sibi convenientia finge.
Scriptor honoratum si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
Siquid inexpertum scaenae committis et audes
Personam formare novam, servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere; tuque

---

114. divusne *plerique codd.*: divosne BR^1 *Monac.* 14685 *duo Blandin.*: Davusne $\beta\sigma R^2$ (Davosne R^3) *Paris.* 8213 *alii correcti, commendavit et recepit Peerlkampus, qui pro* an heros *legendum esse duxit* herusne. *Omitto aliorum coniecturas.* 116. Fervidus *codd.*: Fervidior *coniectura finxit Peerlkampus, qui sequens* et *delevit. Pro* et *autem habent* an, *quod praetulerant edit. ante Bentleium, cum aliis perpaucis Parisini* 7978, 8213. – parens *pro* potens *ex uno cod. Fea, improbante Peerlkampo.* 117. virentis $aBL\sigma$ *Paris.* 8218 τ^2 *alii pauci*: vigentis $R\pi\gamma\phi\psi\lambda l\delta\beta\tau^1$ *Paris.* 7978 *unus Blandin. alii.* 119, 120. finge, Scriptor. *distinxit Bentleius, probante Kiesslingio*: *ordine inverso* scriptor Finge. *scribendum esse iudicavit Peerlkampus.* – honoratum *praebent codd.*: Homereum *vel* Homeriacum *excogitavit Bentleius, sed* Homereum *edidit, alterum illud commenticium Luc. Muellero vulgandum relinquens*: Cothornatum *commentus est Peerlkampus.* – Achillen $\phi\psi\lambda l\pi$. 122. negat $R^1L\delta\lambda l\tau^1$ *alii pauci.* 128. communia *omnes ad unum codd.*: *mendi corrigendi notam apposuit Luc. Muellerus.*

Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.
Publica materies privati iuris erit, si
Non circa vilem patulumque moraberis orbem,
Nec verbo verbum curabis reddere fidus
Interpres, nec desilies imitator in artum,
Unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex.
Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
'Fortunam Priami cantabo et nobile bellum'.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
'Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae
Qui mores hominum multorum vidit et urbes'.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,

---

129. deduxes, *invitis codd., maluit Bothius.* 130. sic *pro* si *coniecit Bothius, cui assensus est Peerlkampus.* 133. verbo verbum *omnes fere codd.*: verbum verbo Rσ *alii perpauci, qui potiores fuerunt Bentleio, Peerlkampo, Kruegero, Luc. Muellero.* 135. referre, *quod quidem est in Paris.* 7973, *anteposuit Peerlkampus.* 136. cyclicus *vel* ciclicus *omnes paene codd.*: ciclius σ *cum aliis perpaucis, quibus fretus* Cyclius *edidit Bentleius, adprobantibus Peerlkampo et Luc. Muellero.* 139. parturient *codd., perpaucis exceptis, in his Regio Bentleii et duobus Pulmanni, ex quibus* parturiunt *adsciverunt Bentleius, Ritterus, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus: praesens tempus Peerlkampus quoque praeferendum esse existimavit.* 141. post tempora *omnes prope codd.*: post moenia (*vel* menia) *ex uno cod. Achillis Statii et ex suo Vigorniensi (cum quibus alii perpauci consentiunt) recepit Bentleius, cui pro* tempora *etiam* funera *arrisit*: Troiae post moenia capta *maluit Peerlkampus.*

Antiphaten Scyllamque et cum Cyclope
[Charybdim:
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo;
Semper ad eventum festinat et in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit et quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit,
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi.
Si plosoris eges aulaea manentis et usque
Sessuri, donec cantor 'vos plaudite' dicat,
Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
Reddere qui voces iam scit puer et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere et iram

145. Circamque *pro eo quod est* Scyllamque *ab Horatio profectum esse suspicatus est Bentleius, sed nihil mutavit.* — Charybdim. *Vocem in* n *desinentem exhibent admodum pauci, veluti* L *pr.* γ. 147. Troiae sortitur, *superscripta vera Horatii lectione,* λ*l.* 154, 155. plosoris aBR[1]γLδ[2] *Blandin. vetustiss. alii*: plausoris βστ[2] *Parisini* 7978, 8213 *alii pauci*: plusoris *vel* plus oris *ceteri*: *praeterea sic est apud Pseudo-Acronem* « Plosoris *et* plausoris *legitur* »: *Bentleius vero* fautoris, *quo quidem verbo illud* plosoris *interpretatus erat Pseudo-Acron, inter ipsa poetae verba pro sincera lectione recepit, improbante Peerlkampo qui, posita post* dicat *interrogationis nota,* Spectatoris *pro* Si plausoris *legendum esse censuit.* 157. naturis *omnes prope codd.*: maturis, *quod ex coniectura Horatio tribuit Bentleius, habent perpauci, ut Vigorniensis pro varia lectione, Upsalensis, Vaticanus a m. pr., probantibus Meinekio, Luc. Muellero, aliis paucis*: *Peerlkampus autem pro eo quod est* naturis dandus *poetam* studiis addendus *scripsisse arbitratus est.*

Colligit ac ponit temere et mutatur in horas.
Imberbus iuvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis cupidusque et amata relinquere pernix.
Conversis studiis aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit et inventis miser abstinet ac timet uti,
Vel quod res omnis timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator censorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
Mandentur iuveni partes pueroque viriles:
Semper in adiunctis aevoque morabimur aptis.
Aut agitur res in scaenis aut acta refertur.

---

161. Imberbus *Blandin. vetustiss.*: Inberbus γ *Monac.* 14685 *a m. pr. Mellicensis alii perpauci*: Imberbis *vel* Inberbis *ceteri, probantibus Kiesslingio et Kellero cum Haeussnero.* 168. mox mutare BRaγβ *Paris.* 7973 *alii*: permutare *aliquot codd., veluti* φψλlδLτσ. 172. lougus ... avidusque *omnes codd.*: lentus ... paviduşque *ex coniectura edidit Bentleius, qui se in codice Reginensi ante illud* avidus *unam litteram erasam animadvertisse affirmavit.* 178. morabimur aγLβσ *Parisini* 7973, 8213 *alii*: morabitur BRφψλlδπτ *alii.* 179. in scena, aut alibi acta *machinatus est Peerlkampus, refragantibus codd.*

Segnius inritant animos demissa per aurem
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae
Ipse sibi tradit spectator: non tamen intus
Digna geri promes in scaenam, multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens.
Ne pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.
Neve minor neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci vult et spectanda reponi;
Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit; nec quarta loqui persona laboret.
Actoris partis chorus officiumque virile
Defendat, neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte.
Ille bonis faveatque et consilietur amice

180, 181. subiecta per aurem ... demissa fidelibus *legendum esse opinatus est Peerlkampus.* 184, 185. quae vox narrabit nuntia. Praesens Ne e. q. s., *repugnantibus codd., excogitavit Peerlkampus. — Pro eo quod est* Ne *habent* Nec *perpauci codd., in his Paris.* 8218, *item aliquot editt. ante Bentleium qui verum lectionem revocavit.* 189. nec *pro* neu *admodum pauci, ut* L *et Paris.* 7978. 190. spectanda aBRγφψβ *alii*: spectata λlδπL *Paris.* 7978 *alii quos secuti sunt Bentleius, Peerlkampus, Ritterus, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus, improbantibus Holdero, Kellero, Kruegero, Kiesslingio, Mewesio, aliis*: Fabula quae spectari, et vult spectata reposci *fabricatus est Peerlkampus.* 193. Actoris *omnes codd., si* β^1 *cum perpaucis excipias, in quibus est* Auctoris. 194. intercidat στ *alii perpauci.* 196. amice aBγLσ *Paris.* 7978 *alii multi*: amicis Rλl: amici $\varphi^1\psi^1\pi$ *alii pauci.*

Et regat iratos et amet peccare timentis;
Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
Iustitiam legesque et apertis otia portis;
Ille tegat commissa deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.
Tibia non, ut nunc, orichalco vincta tubaeque
Aemula, sed tenuis simplexque foramine pauco
Adspirare et adesse choris erat utilis atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu;
Quo sane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi castusque verecundusque coibat.
Postquam coepit agros extendere victor et urbes
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius festis impune diebus,

---

197. peccare BRγφψλβστπL *alii multi*: pacare *unus apud Cruquium, item unus apud Pulmannum et aliquot Statii.* — timentis *vel* timentes *uno fere consensu codd.*: tumentes *unus apud Pulmannum. Igitur* pacare tumentis (*vel* tumentes) *ediderunt Bentleius, Kruegerus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus*: pacare timentis *praetulerunt Holderus et Kiesslingius, probaverat etiam Kellerus, sed, mutato deinde consilio, cum Haeussnero* peccare timentis *reposuit.* 198, 199. ille celebret Iustitiam *Horatium dedisse coniecit Peerlkampus.* 200, 201. deosque precetur, et oret Ut *distinxit Peerlkampus, illud* oret *ad « ipsam Fortunam » pertinere contendens, tamquam si interpretandum esset « oret ipsam Fortunam ut redeat ».* 202. vincta aBRφψλιδπLσβτ *Bland. vetustiss. alii multi*: iuncta *duo Blandinii, Paris.* 8213, *alii perpauci, quibus hoc loco primas dedit Bentleius*: longa *somniavit Peerlkampus.* 203. simplex tenuisque, *invitis codd., maluit Peerlkampus.* — pauco *maior pars codd.*: parvo Rφψλιτβ *duo Blandinii, alii.* 208. urbem, *adversantibus omnibus paene codd., Bentleius.* 209. Laxior *pro eo quod est* Latior *ex coniectura protulit Bentleius.*

Accessit numerisque modisque licentia maior.
Indoctus quid enim saperet liberque laborum
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti
Tibicen traxitque vagus per pulpita vestem;
Sic etiam fidibus voces crevere severis,
Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps,
Utiliumque sagax rerum et divina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestis Satyros nudavit et asper
Incolumi gravitate iocum temptavit eo quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator functusque sacris et potus et exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicacis
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
Ne, quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas,
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
Effutire levis indigna tragoedia versus,
Ut festis matrona moveri iussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.

---

212. *Hunc versum complures codd. omiserunt, ut a m. pr.* Rφψ λlπLτ. 214. luxuriam BπL *Parisini* 7978, 8213 *alii pauci.* 217. Et tulit *codd., nisi quod* Etulit *praebet* λ: Extulit *coniecit Nic. Heinsius.* 220. cantavit *pro* certavit *admodum pauci, in his* γ. 221. nudavit *codd.*: induxit *scribendum esse censuit Peerlkampus.* 222. iocum *maior pars codd.*: locum R²δπτL *corr. alii pauci, item Diomedis libri scripti.* 226. Conveniat Bβ *alii perpauci.* 230. vitet τ *et Paris.* 7978.

Non ego inornata et dominantia nomina solum
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo,
Nec sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur et audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum,
An custos famulusque dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum frustraque laboret
Ausus idem: tantum series iuncturaque pollet,
Tantum de medio sumptis accedit honoris!
Silvis deducti caveant me iudice Fauni,
Ne velut innati triviis ac paene forenses
Aut nimium teneris iuvenentur versibus umquam,
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta:
Offenduntur enim, quibus est equus et pater et res,
Nec, siquid fricti ciceris probat et nucis emptor,
Aequis accipiunt animis donantve corona.
Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus,
Pes citus; unde etiam trimetris adcrescere iussit

---

235. Pisonis *aliquot codd.*, *veluti* φψλιδπτ. 237. et *admodum* *pauci*, *ut* B, *Monac.* 14685, *Blandin. vetustiss.*, *alter Bland.* : an *ceteri*. 240. carmen fictum *cum perpaucis Paris.* 7978. 243. accedet τ *alii perpauci*, *probante Peerlkampo*. 244. deducti *omnes fere codd.*: educti *coniecit Marklandus*, *suffragantibus duobus Feae codd.*, *probavit* *Peerlkampus*. 248. Offenduntur enim patres, equus et quibus et res, *invitis codd.*, *Peerlkampus*. 249. fricti *plerique codd.*: fracti Bδπτ *Paris.* 8218. 250. donantque *nonnulli*, *velut* πL *Parisini* 7978, 8218. 252. adcrescere *vel* accrescere *omnes boni codd.*: accedere *est apud Porphyrionem et in nonnullis Feae codd.*, *plaudente Peerlkampo*; *sed id ex verae lectionis interpretatione deductum esse nemo non videt.*

Nomen iambeis, cum senos redderet ictus
Primus ad extremum similis sibi: non ita pridem,
Tardior ut paulo graviorque veniret ad auris,
Spondeos stabilis in iura paterna recepit
Commodus et patiens, non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter. Hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni
In scaenam missos cum magno pondere versus
Aut operae celeris nimium curaque carentis
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poemata iudex,
Et data Romanis venia est indigna poetis.
Idcircone vager scribamque licenter? an omnis
Visuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniae cautus? Vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At vestri proavi Plautinos et numeros et

---

253. nomen *omnes codd.*: momen *fabricati sunt Ribbeckius et Usenerus.* — carminibus *pro* iambeis *Horatio adiudicavit Peerlkampus.* 255. paulum *cum paucis* πL. 258. socialiter. Hic *mutandum esse in* sextave. Sed hic *iudicavit Peerlkampus, repugnantibus codd.* 259, 260. et Enni. In scenam missus *distinxit et correxit Bentleius, coniecturam Marcilii amplexus cuius in sententiam etiam Dacierus concesserat.* — cum magno pondere *una fere voce commendant codd., probante Bentleio*: magno cum pondere *ex paucis codd. editt. veteres adsciverant.* 261. nimium celeris *cum perpaucis* a. 264. Et data *codd.*: Nec data *praeferendum esse credidit Peerlkampus.* 265. an *omnes paene codd.*: ut, *quod exstat in Parisino* 7978 *aliisque perpaucis, primus protulit et defendit Bentleius.* 266. extra *pro* intra, *neglecta omnium codd. auctoritate, legit Lambinus.* 270. vestri *omnes fere codd., in his Cruquiani*: nostri *perpauci, quibuscum multae ante Bentleium editt. congruunt, adprobante Peerlkampo.*

Laudavere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.
Ignotum tragicae genus invenisse Camenae
Dicitur et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.
Post hunc personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus et modicis instravit pulpita tignis
Et docuit magnumque loqui nitique coturno.
Successit vetus his comoedia, non sine multa
Laude; sed in vitium libertas excidit et vim
Dignam lege regi: lex est accepta chorusque
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.
Nil intemptatum nostri liquere poetae,
Nec minimum meruere decus vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clarisve potentius armis
Quam lingua Latium, si non offenderet unum
Quemque poetarum limae labor et mora. Vos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coercuit atque

---

273. dictum *Paris.* 7978. 277. Qui *pro* Quae *ex coniectura reposuit Bentleius, cui obsecutus est Luc. Muellerus.* — infecti *pro eo quod est* peruncti *Diomedes.* — atris *pro* ora *habet* B *et superscr. Monac.* 14685. 280. coturno *omnes codd.* 289. clarisque B *et Mon.* 14685, *opp. cett.*: clariusve *coniecit Peerlkampus, qui praeterea pro* potentius *scribere* potentibus *maluit.*

Praesectum deciens non castigavit ad unguem.
Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit et excludit sanos Helicone poetas
Democritus, bona pars non unguis ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poetae,
Si tribus Anticyris caput insanabile numquam
Tonsori Licino commiserit. O ego laevus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poemata: verum
Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi;
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo,
Unde parentur opes, quid alat formetque poetam,
Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte sapere est et principium et fons:
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,
Verbaque provisam rem non invita sequentur.

---

294. Praesectum B, *Monac.* 14685, *duo Blandinii, in his vetustiss., aliquot Statii codd., unus Mureti, Vaticanus apud Lambinum; receperunt Lambinus, Bentleius, Doeringius, Ritterus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus, Kiesslingius, Mewesius*: Perfectum, *quod habent omnes prope Horatii codd., Holdero, Dillenburgero, Kruegero, Kellero, aliis, magis arrisit*: Resectum *excogitavit Peerlkampus.* 299. poeta *maluit Peerlkampus, repugnantibus omnibus libris scriptis, si* φ *excipias, in quo* poete *exhiberi testatur Holderus.* 302. purger, *quod sibi potius esse scripsit Peerlkampus, perpauci codd. praebent, in his* L *pr.*: purgo, *nullo cod. suffragante, praetulit Lambinus.* 305. exsors (*vel* exors) ipsa φψλlδτLβσ *alii multi*: exortita *vel* exsortita *nonnulli, ut* RBaγπ¹. 307. formetque *codd.*: firmetque *Peerlkampus.* 311. sequuntur B: sequontur *Monac.* 14685.

Qui didicit, patriae quid debeat et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
Partes in bellum missi ducis, ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula nullius veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum nugaeque canorae.
Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partis centum diducere. 'Dicat
Filius Albini: si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? Poteras dixisse'. 'Triens'. 'Eu!

---

812. et quis *coniecit Peerlkampus.* 815. ad bellum missi *magis latinum esse praedicavit Peerlkampus.* 818. vivas. *In hac lectione, quam iure ac merito ab oblivione vindicavit Bentleius, omnes prope codd. concordes sunt*: veras *ex paucis codd. protulit Lambinus*: vivos:.. voltus *pro* vivas... voces *scribendum esse putavit Peerlkampus.* 819. iocis Rφψλlδπτσ *alii, improbante Peerlkampo.* 826. Dicas *contra omnium codd. consensum Horatio tribuit Bentleius.* 827. Albani *pauci, veluti* aB *Paris.* 8213. 828. superat *omnes prope codd.*: superest, *ut varia lectio, exstat in* γ: superet *e Zulichemiano edidit Bentleius.* — poteras *maior pars codd.*: poterat aγπσβ *alii quibus palmam detulit Bentleius. Hic autem* superet. poterat dixisse, Triens? *distinxit*: poteris *coniecit Horkelius,* properat *Schneidewinus, utrumque improbante Kruegero.* — Eu *plerique codd.*: heu *praebet* a: est φψλlδ *alii.*

Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?'
'Semis'. At haec animos aerugo et cura peculi
Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro et levi servanda cupresso?
Aut prodesse volunt aut delectare poetae
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.
Quicquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles:
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris,
Ne quodcumque volet poscat sibi fabula credi,
Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.
Centuriae seniorum agitant expertia frugis,
Celsi praetereunt austera poemata Ramnes:
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci
Lectorem delectando pariterque monendo.

---

330. An haec *cum* B *Blandin. vetustiss. et duo alii exhibent in quibus, teste Cruquio,* « n *littera erasa et* t *posita* »; *primus autem edidit Bentleius, quem secuti sunt Doeringius, Ritterus, Hirschfelderus, Kiesslingius, Mewesius, alii multi*: Ad haec *omnes prope codd. et edit. ante Bentleium*: At haec *praeter duos Cruquii, quos supra memoravi, habet* π2: Et haec *maluerunt Cuninghamus et Peerlkampus.* 331. speremus *complures, ut* RφψλlδπLτ *Parisini* 7973, 8213. 336. animo *unus Blandinius.* 337. *Hunc versum suspectum vocavit Bentleius, probantibus Peerlkampo, Luc. Muellero, Dillenburgero, aliis.* 339. Ne, *quod et plerique codd. habent et edit. principes confirmaverunt, recte restituit Bentleius*: Nec *ex paucis codd., in quorum numero sunt* B *Paris.* 7973 *Monac.* 14685, *multas ante Bentleium edit. occupaverat.* — volet *maior pars codd.*: velit aBγ *alii pauci.* — poscet *pro* poscat *in perpaucis scriptum est, ut in* L, *sed* posset *praebent* φψδ. 340. exciat alvo *coniecit Cuninghamus, adversante Peerlkampo.*

Hic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit
Et longum noto scriptori prorogat aevum.
Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus:
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus [et mens,
Poscentique gravem persaepe remittit acutum,
Nec semper feriet quodcumque minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est?
Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret, ut citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem;
Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
Quem bis terque bonum cum risu miror; et idem

---

345. aere *aliquot codd., in his* φψλlδ. — Sosiis RφψλlδπLστ *alii multi*: Sosis *est in* Baγ *Monac.* 14685 *quattuor Bland. aliis, sicque certe « pronuntiandum » esse, quod prima syllaba producatur, legimus apud Peerlkampum, cuius sententiae suffragantur Pseudo-Acronis verba « Alii ... volunt ... duo* i *debere scribi, sed propter metrum unum debet scribi ». Rem tamen aliter sese habere, si Horatianum usum respicimus, ex eo patet, quod in Ep.* I, 20, 2 *prima vocis* Sosiorum *syllaba correpta est.* 349. remittit BRγπL *alii*: remutit φψδ *cum uno Blandinio*: remuttit λl. 353. ergo est *omnes codd.*, B *excepto, qui exhibet* ergost: *illud* est *omiserunt complures editt. ante Bentleium, qui veram lectionem revocavit.* 355. ut *ex quibusdam Lambini et suis codd. expressit Bentleius neque immerito*: et *ex plurimis codd. in suas editt. assumpserunt Holderus et Kellerus.* 356. oberret aγLτ *alii pauci.* 357. Choerilus, ille, *distinguendum esse censuit Peerlkampus.* — Choerilos, *invitis codd., scripsit Bentleius.* 358. terque *omnes fere codd.*: terve *exhibent* B *et cod. Regius quem hic pluris fecit Bentleius, repugnantibus Rittero, Holdero,* [illegible]o, *aliis paucis, quos sequor.*

Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas est obrepere somnum.
Ut pictura poesis: erit quae, si propius stes,
Te capiat magis, et quaedam, si longius abstes.
Haec amat obscurum; volet haec sub luce videri,
Iudicis argutum quae non formidat acumen;
Haec placuit semel, haec deciens repetita placebit.
O maior iuvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor, certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi: consultus iuris et actor
Causarum mediocris abest virtute diserti
Messallae nec scit quantum Cascellius Aulus,
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poetis
Non homines, non di, non concessere columnae.
Ut gratas inter mensas symphonia discors
Et crassum unguentum et Sardo cum melle [papaver
Offendunt, poterat duci quia cena sine istis;

---

359. Indignor, quando, usque bonus, dormitat Homerus *somniavit Peerlkampus.* 360. opere in longo sγβτδ *corr. alii pauci, item multae edit. ante Bentleium qui sinceram plurimorum codd. lectionem restituit*: opere longo Lδ *pr.* 361. Ut pictura poesis: erit *plerique cum Bentleio distinguunt*: Ut pictura, poesis erit quae *maluit Meinekius: qui vero codd. distinctionis notam praebent, eos post* erit *interpungere Holderus et Kellerus testantur.* 362. at quaedam *coniecit Peerlkampus, qui praeterea* adstes *edidit, non concedentibus bonae notae codd.* 369. auctor *pro* actor Bβ *Petropolitanus alii perpauci.* 371. nec scit B *duo Blandinii, in his vetustiss., alii perpauci*: nescit *ceteri.* 374. gratas *codd.*: gravius *voluit Peerlkampus.*

Sic animis natum inventumque poema iuvandis,
Si paulum summo decessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilae discive trochive quiescit,
Ne spissae risum tollant impune coronae:
Qui nescit versus tamen audet fingere? Quidni?
Liber et ingenuus, praesertim census equestrem
Summam nummorum vitioque remotus ab omni.
Tu nihil invita dices faciesve Minerva:
Id tibi iudicium est, ea mens. Siquid tamen olim
Scripseris, in Maeci descendat iudicis auris
Et patris et nostras nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis: delere licebit,
Quod non edideris; nescit vox missa reverti.
Silvestris homines sacer interpresque deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigris rabidosque leones.
Dictus et Amphion, Thebanae conditor urbis,

---

377. factumque, *non* inventumque, *ab Horatii manu profectum esse persuasum habuit Peerlkampus.* 378. summo *codd.*: a summo *Lambinus, qui praeterea perpaucis codd. fidem adiungens* discessit *scribere maluit.* — pergit *pro* vergit B. 382. Qui nescit versus, tamen *distinxerunt Bentleius, Ritterus, Kiesslingius*: Qui nescit, versus tamen *Peerlkampus.* 385. faciesque βγτδ *pr. alii pauci.* 387. Maeci B *et Monac.* 14685, *atque hanc scripturam iure ac merito ratam habuit Bentleius*; *Peerlkampus vero vulgatissimum illud* Metii, *iam pridem multis viris doctis probatum, reposuit. Ceterum in hac lectione variant libri scripti: alii enim habent* Maecii, *alii* Mecii; *nec desunt qui* Metii *aut* Meti *praebeant.* 391. genus *pro* sacer *fabricatus est Peerlkampus.* 393. rabidosque Bσ *Paris.* 8213 *omnes Cruquiani alii pauci*: rapidosque *plerique codd., faventibus Holdero et Kellero.* 394. urbis *maior pars codd.*: arcis, *quod habent* aRβ *alii pauci, praetulit Bentleius, ne Peerlkampo quidem assentiente.*

Saxa movere sono testudinis et prece blanda
Ducere, quo vellet. Fuit haec sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit; dictae per carmina sortes,
Et vitae monstrata via est, et gratia regum
Pieriis temptata modis, ludusque repertus,
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Musa lyrae sollers et cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quaesitum est: ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res et coniurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
Abstinuit Venere et vino; qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.

---

395. fide *pro eo quod est* prece *sine ullo libri scripti testimonio reponendum esse censuit Peerlkampus.* 402. Dyrceus, *vel aliquid simile, pauci codd. praebent, in his* σR *Paris.* 7978: Dircaeus *Lambinus.* 407. lyrae *summa librorum scriptorum consensione plerique ediderunt*: lyra *ex Iahnii coniectura Meinekius, Kiesslingius, alii pauci.* 410. prosit *omnes prope codd.*: possit *ex quibusdam Lambini codd. arcessivit Bentleius, suffragantibus Peerlkampo, Luc. Muellero, Dillenburgero, Kruegero, aliis.* — sed *melius esse quam* sic *iudicavit Peerlkampus.* 414. Venere et Baccho *nonnulli codd. apud Lambinum, adprobante Peerlkampo.*

Nunc satis est dixisse 'ego mira poemata pango;
Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est
Et, quod non didici, sane nescire fateri.'
Ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Adsentatores iubet ad lucrum ire poeta
Dives agris, dives positis in faenore nummis.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit
Et spondere levi pro paupere et eripere atris
Litibus implicitum, mirabor, si sciet inter
Noscere mendacem verumque beatus amicum.
Tu seu donaris seu quid donare voles cui,
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Laetitiae: clamabit enim 'pulchre! bene! recte!'
Pallescet super his, etiam stillabit amicis

---

416. Nunc *omnes prope codd. et scholia clare expressum ostendunt:* Nec *Paris.* 7973 *et duo codd. apud Bentleium, qui hanc lectionem amplexus est, probantibus Doeringio, Peerlkampo, Luc. Muellero, Hirschfeldero: vulgatam lectionem defenderunt Ritterus, Kruegerus, Dillenburgerus, Holderus, Kellerus, Kiesslingius, Meweseius; adde Pseudo-Acronis adnotationem* « Nunc. *Hoc tempore, istis temporibus. Id est: in hac copia imperitorum* »: Num *cod. Helmstadiensis:* Non *cod. Digbeanus Oxonii et Paris.* 8219 *a. corr.* 422. sin *l*π *Paris.* 8213 *alii pauci.* 423. *Illud* artis, *quod in suas edit. receperunt Holderus, Kellerus, Luc. Muellerus, Kiesslingius, Bentleii coniectura et perpaucorum codd. auctoritate nititur, quorum unus est Paris.* 8212. *Ceterum hunc versum sic reconcinnandum esse statuit Peerlkampus* Et spondens vili pro paupere, cum eripit atris. 424. sciat B *opp. edd.* 428. recte! bene! pulchre! *inverso ordine coniecit Peerlkampus; idem repperit Fea in cod. Romano Vaticano.* 429. Pallescet, super his etiam *distinxerunt Bentleius, Doeringius, Kiesslingius, alii.*

Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram.
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
Derisor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus: si carmina condes,
Numquam te fallent animi sub vulpe latentes.
Quintilio siquid recitares, 'corrige sodes
Hoc' aiebat 'et hoc'. Melius te posse negares,
Bis terque expertum frustra; delere iubebat
Et male tornatos incudi reddere versus.
Si defendere delictum quam vertere malles,
Nullum ultra verbum aut operam insumebat inanem,
Quin sine rivali teque et tua solus amares.

---

431. Ut quae conductae *contra omnes codd. maluerunt Kirchmannus et Marklandus, quos secutus est Peerlkampus.* 434. culullis RγστТ *alii pauci*: cululis φψλlδβ *Parisini* 7973, 8213: culillis *cum paucis* πL. 435. prospexisse *Paris.* 7973 *alii perpauci.* — laborant Rφψ *corr.* λlδπLσ *alii multi, restituit Bentleius*: laborent *cum* aBγτ *Holderus et Kiesslingius.* 437. fallent *plerique codd., probante Peerlkampo*: fallant φψδLστ *alii pauci, idque Bentleio, Rittero, Luc. Muellero, Dillenburgero, Kruegero, Hirschfeldero arrisit.* — amica sub pelle *pro* animi sub vulpe *ex libidine finxit Peerlkampus*: sub nube *fortasse scribendum esse animadvertit Luc. Muellerus.* 441. Aut *coniecit Kruegerus, sed vulgatum illud* Et *servavit.* — tornatos *omnes codd., excepto Monac.* 14685 *in quo* torquatos *scriptum legimus*: *lectionem* ter natos, *ut « solam utique Horatio dignam »*, *procudit poetaeque addixit Bentleius*: formatos *maluit Guietus, non improbante Peerlkampo.* 442. vertere *codd.*: cedere *praetulit Peerlkampus, suffragantibus quibusdam Feae codd.* 443. sumebat *admodum pauci, veluti* π *Parisini* 7973 *pr.*, 8213.

Vir bonus et prudens versus reprehendet inertis,
Culpabit duros, incomptis adlinet atrum
Transverso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit,
Fiet Aristarchus, nec dicet: 'cur ego amicum
Offendam in nugis?' Hae nugae seria ducent
In mala derisum semel exceptumque sinistre.
Ut mala quem scabies aut morbus regius urget
Aut fanaticus error et iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam,
Qui sapiunt; agitant pueri incautique sequuntur.
Hic dum sublimis versus ructatur et errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveamve, licet 'succurrite' longum
Clamet 'io cives', non sit qui tollere curet.
Si curet quis opem ferre et demittere funem,

---

445. reprehendit *complures, ut* φψλ*l*Lπ *pr.*: reprendit R. 450. nec Raγβτδ^2 *Monac.* 14685 *alii*: non φψλ*l*δ^1πLσ *alii multi, qui hoc loco Bentleio, Rittero, Luc. Muellero, Kruegero, Hirschfeldero, Kiesslingio, Meweesio potiores fuerunt.* 453. Ut, quem olim scabies *suspicatus est Peerlkampus.* 455. fugient *pro* fugiunt *nonnulli, in his* aγβ *Monac.* 14685. 456. innuptaeque sequuntur *coniectura repperit Peerlkampus.* 457. *Omnino reiciendum est illud* sublimes *quod aliquot codd. exhibent; casum enim nominativum sententia unice postulat, ut recte animadvertit Peerlkampus.* 458. Sic *pro* Si *maior pars codd., ut* Raγτ πLβφψλ*l*. 461. Si curet quis *ad omnium optimorum codd. veterumque editt. fidem restituit Bentleius*: Si quis curet *habent complures editt. ante Bentleium, item duo codd. apud Feam, probante Doeringio.* — dimittere aγφψδβπLτ *alii multi, opp.* Rλ*l* *Parisinis* 7978, 8218 *aliis paucis, in quibus est* demittere.

'Qui scis, an prudens huc se deiecerit atque
Servari nolit?' dicam, Siculique poetae
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiluit. Sit ius liceatque perire poetis:
Invitum qui servat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit, nec, si retractus erit, iam
Fiet homo et ponet famosae mortis amorem.
Nec satis apparet, cur versus factitet; utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus: certe furit, ac velut ursus,
Obiectos caveae valuit si frangere clatros,
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus;
Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

---

462. deiecerit aRγβτδ *corr. Monac.* 14685 *alii pauci, receperunt editt. ante Bentleium: hic vero, ceteros codd. secutus, illud* proiecerit *supposuit quod Peerlkampo, Rittero, Dillenburgero, Luc. Muellero, Hirschfeldero, Kiesslingio, Mewesio placuit. Ego Holderi, Kelleri, Kruegeri lectionem pluris aestimavi.* 473. clatros *per* tr *scribendum esse non solum inscriptiones sed omnes optimae notae codd. confirmare videntur:* clathros *pleraeque editt. exhibent, improbantibus Holdero, Kellero, Dillenburgero, Hirschfeldero, quibus assentior.* 475. semel *pro* vero, *quod Peerlkampus « iam notatum esse » vidit « ex MS. in margine editionis Aldinae », in uno cod. repperit et probavit Oudendorpius.* — exsugit *pro eo quod est* occidit *coniectura commentus est Peerlkampus.*

Q. HORATI FLACCI
VITA

DE OPERIBVS
C. SVETONI TRANQVILLI
SVBLATA

Q. Horatius Flaccus, Venusinus, patre, ut ipse tradit, libertino et auctionum coactore, [ut vero creditum est, salsamentario, cum illi quidam in altercatione exprobrasset: quotiens ego vidi patrem tuum brachio se emungentem!] bello Philippensi excitus a M. Bruto imperatore tribunus militum meruit; victisque partibus, venia impetrata, scriptum quaestorium comparavit. Ac primo Maecenati, mox Augusto insinuatus, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Maecenas quantopere eum dilexerit, satis testatur illo epigrammate:

Ni te visceribus meis, Horati,
Plus iam diligo, tu tuum sodalem
Ninnio videas strigosiorem:

sed multo magis extremis iudiciis tali ad Augustum elogio: 'Horati Flacci ut mei esto memor!' Augustus epistularum quoque ei officium obtulit, *ut* hoc

ad Maecenatem scripto significat: 'Ante ipse sufficie-bam scribendis epistulis amicorum; nunc occupatis-simus et infirmus Horatium nostrum a te cupio abdu-cere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad han[c] regiam, et nos in epistulis scribendis adiuvabit.' A[c] ne recusanti quidem aut succensuit quicquam au[t] amicitiam suam ingerere desiit. Exstant epistulae e quibus argumenti gratia pauca subieci: 'Sume tib[i] aliquid iuris apud me, tamquam si convictor mihi fueris; recte enim et non temere feceris, quoniam id usus mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri possit.' Et rursus: 'Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro au-dire; nam incidit ut illo coram fieret a me tui men-tio. Neque enim si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερηφανοῦμεν.' Prae-terea saepe eum inter alios iocos purissimum penem et homuncionem lepidissimum appellat, unaque et altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem eius usque adeo probavit mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo Saeculare carmen componendum iniunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberi Dru-sique privignorum suorum, eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris ex longo intervallo quar-tum addere; post sermones vero quosdam lectos nul-lam sui mentionem habitam ita sit questus: 'Irasci me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse?' Expressitque eclogam ad se, cuius ini-tium est:

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.

Horatius habitu corporis fuit brevis atque obesus, qualis et a semet ipso in satiris describitur et ab Augusto hac epistula 'Pertulit ad me Onysius libellum tuum, quem ego, ut excusantem, quantuluscumque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne maiores libelli tui sint, quam ipse es; sed si tibi statura deest, corpusculum non deest. Itaque licebit in sextariolo scribas, quo circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος, sicut est ventriculi tui.' Ad res Venerias intemperantior traditur. [Nam specula in cubiculo scortans ita dicitur habuisse disposita, ut, quocumque respexisset, sibi imago coitus referretur.] Vixit plurimum in secessu ruris sui Sabini aut Tiburtini, domusque eius ostenditur circa Tiburni luculum. Venerunt in manus meas et elegi sub titulo eius et epistula prosa oratione, quasi commendantis se Maecenati; sed utraque falsa puto. Nam elegi vulgares, epistula etiam obscura; quo vitio minime tenebatur. Natus est VI. Idus Decembris, L. Cotta et L. Torquato consulibus, decessit V. Kal. Decembris C. Marcio Censorino et C. Asinio Gallo consulibus post *L* dies quam Maecenas obiit* LVII aetatis anno, herede Augusto palam nuncupato, cum urgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Conditus est extremis Esquiliis iuxta Maecenatis tumulum.

INDEX CARMINVM ET EPODON

INDEX SERMONVM

INDEX EPISTVLARVM

ARS POETICA

ADDENDA
ADNOTATIONIBVS CRITICIS
AD CARMINVM LIBROS

I, 1. — 3-5. Hos versus delevit Peerlkampus, qui item vv. 9, 10, 30, 35 ab Horatio abiudicavit. 6. *evehit* codd.: *evehere* coniecit atque edidit Bentleius. Hunc autem versum post v. 8 collocandum esse censuit Peerlkampus. 13. *dimoveas* probaverunt Bentleius, Ritterus, Trezza, Nauckius, Hirschfelderus. 14. *impavidus* coniecit Peerlkampus. 17. *rura* codd.: *tuta* commentus est Acidalius, commendavit Bentleius, qui tamen vulgatam lectionem ferri posse iudicavit. 32. *Secernant* suspicatus est Peerlkampus. 35. *inseris* maluerunt Bentleius, Ritterus, Trezza, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Schuetzius.

I, 2. — Versus 5-12, 17-24, 27-29, 34, 38-40 exclusit Peerlkampus; idem, reiectis verbis *prece qua fatigent* et *Iuppiter? Tandem*, ex vv. 26 et 30 unum versum conflavit. 1. *tetrae nivis* coniecit Dan. Heinsius, improbante Peerlkampo. 2. *rubenti* cum perpaucis codd. Peerlkampus. 10. *palumbis* Porphyrion, cod. Battelianus pro varia lectione apud Bentleium; re-

cepit Fea. 21. *acuisse* omnes ad unum codd.: *cecidisse* coniecit Luc. Muellerus: *iacuisse* Baehrensius: *rapuisse* Madvigius, Ieepius, Ecksteinus. 31. *candenti* Pseudo-Acron, item aliquot codd., ut σ Bruxell. Gemblac. alii qui Lambino, Torrentio, Feae in manibus fuerunt, nonnullae denique editt. vett. 39. *Marsi* reposuit et defendit etiam Luc. Muellerus. 46. *Quirino* perpauci codd., in his tres apud Lambinum, unus Cruquianus, probante Nic. Heinsio.

I, 3. — Versus 15-20, 25-36 repudiavit Peerlkampus. 2. *fulgida* Cuninghamus, improbante Peerlkampo. 5. *quae* codd.: *quem* coniecit Schuetzius. 6. *in finibus* legendum esse censuit Peerlkampus. 18. *siccis* omnes codd.: *rectis* ex coniectura edidit Bentleius: *fixis* maluit Cuninghamus. 19. *turgidum* omnes prope editt. ante Bentleium, qui *turbidum* praetulit, adversantibus Rittero, Trezza, Dillenburgero, Nauckio. Adde quod *turbidum* in omnibus Blandiniis Cruquium repperisse constat. 22. *dissociabilis*, invitis codd., edidit Bentleius. 36. *Perrupitque* perpauci, ut ℌ² β². 37. *arduum est* melius esse affirmavit Peerlkampus.

I, 4. — 2, 3. Hos versus expunxit Peerlkampus. — *Trudunt* pro *Trahunt* coniecit Oudendorpius. 5. *nemori* pro *Venus* legit Oudendorpius: *levis* Cuninghamus. 8. *visit* reposuerunt etiam Kellerus et Haeussnerus. 16. *nox fabulam atque manes* commentus est Peerlkampus: aliquot codd., ut aRL corr. Mellicensis *fabulaeque et manes* exhibent. 17. *exilis* codd.: *exilium* excogitavit Peerlkampus.

I, 5. — 6. *flebit! ut aspera* coniecit Peerlkampus. 8. *Emirabitur* omnes prope codd.: *Et mirabitur* R a. ras.

Reginensis a m. pr.: *Ut mirabitur* scribendum esse opinatus est Bentleius: *Heu mirabitur* Schneidewinus, non adprobante Peerlkampo.

I, 6. — Versus 13-16 secluserunt Peerlkampus, Meinekius, Luc. Muellerus; Peerlkampus autem etiam vv. 17-20 Horatio indignos esse arbitratus est. 3. *Qua rem cumque* ex suis libris protulit Muretus, recepit Bentleius; eandemque lectionem in cod. Mellicensi repperit et probavit Kellerus (cfr. Epil., p. 28 sq.) 4. *gesseris* fabricatus est Peerlkampus. 7. *reducis* pro *duplicis* coniecit Bentleius. 14. *Troico* codd.: *Troio* suspicatus est Nic. Heinsius, edidit Peerlkampus. 18. *Sectis* codd.: *Strictis* ex coniectura recepit Bentleius: *Rectis* emendavit Hamacherus.

I, 7. — 5. *arces* ediderunt Bentleius et Peerlkampus. 6, 7. Hos versus sustulit Peerlkampus. — *Undique decerptam fronti* codd.: *Undique decerptae frondi*, Erasmo, ut videtur, auctore, plerasque veteres editt. occupavit, improbante Bentleio, qui veram lectionem restituit: *Indeque decerptam fronti* maluit Schraderus. 8. *honore* praetulerunt etiam Peerlkampus et Luc. Muellerus. 9. *dicit* ediderunt pauci, ut Peerlkampus, Schuetzius. 14. *pomeria* pauci, veluti δτ Parisini 7973, 8213, Reginensis. 17. *Perpetuos* maluerunt Peerlkampus, Trezza, Kellerus. 27, 28. *auspice Teucri* defenderunt Lambinus et Peerlkampus, recepit Schuetzius; *auspice*: *Teucro certus enim* contra librorum scriptorum auctoritatem cum Ianio aliisque interpunxerunt Kellerus et Haeussnerus: *auspice Phoebo* coniecit Bentleius. 31. *curam* perpauci, ut R et Mellicensis.

I, 8. — 2-7. *properes... equitet... Temperet* edidi cum Rittero, Trezza, Dillenburgero, Kellero, aliis: *properas... equitat... Temperat* Peerlkampus: *properes... equitat... Temperat* Bentleius (cui tamen *properas* magis placebat), Luc. Muellerus, Schuetzius, Nauckius, Hirschfelderus. — Pro *patiens* legendum esse *impatiens* persuasum habuit Peerlkampus.

I, 9. — 1. *Vides ut altum stet nive candida* coniecit Peerlkampus. 4. Post *acuto* interrogationis notam, quam omnes editt. exhibebant, primus delevit Bentleius, reposuerunt autem Peerlkampus et Schuetzius, perpaucis suffragantibus codd. 14. *sors* perpauci codd.

I, 10. — 1. *Mercuri, facunde nepos* distinxit Bentleius: *Mercuri facunde, nepos* editt. ante Bentleium, probante Peerlkampo.

I, 11. — 1. Plerique codd. distinctionis signum praebent inter *scire* et *nefas*; quare in multis editt. ante Bentleium id legentibus obversabatur *scire* (*nefas*), quod merito reprehendit Peerlkampus. 2. *dederunt* pro *dederint* ψ Paris. 7973 alii perpauci.

I, 12. — Versus 9-12 ab Horatio abiudicavit Luc. Muellerus. 11. *Blandum* codd. Horatiani: *Doctum* Servius. 12. *cautes* pro eo quod est *quercus* coniecit Peerlkampus. 13. Plerique codd. post *prius* distinguunt: *Quid prius dicam? solitis parentem* Muretus ex coniectura, improbante Bentleio, qui sic legendum esse statuit *Quem prius dicam solitis parentum Laudibus?* Peerlkampus autem *Quid... parentum Laudibus?* edidit et defendit. 15. *et* pro *ac* aliquot codd., ut aRL Monac. 14685 Mellicensis, receperunt Kellerus

et Schuetzius. 19. *occupabit*, reclamantibus codd., maluerunt Dan. Heinsius, Rutgersius, alii, quos redarguit et refellit Bentleius. 20, 21. *Pallas honores. Proeliis audax* distinxerunt, neglectis Bentleii argumentis, Peerlkampus, Dillenburgerus, Schuetzius, Nauckius. 31. *quod sic* probaverunt Ritterus, Trezza, Dillenburgerus, Kellerus, Schuetzius, Hirschfelderus: *sic Di* Nic. Heinsius et Bentleius paucorum codd. auctoritate freti, in quibus *dii sic* aut *sic dii* scriptum erat: *qua sic* ex Oudendorpii coniectura Peerlkampus: *quom sic* coniecit Kreusslerus, recepit Nauckius: alii *cum sic* maluerunt, atque id in Luc. Muelleri editione expressum est, mendi signo praeposito; Muellero enim Bentleiana lectio magis arrisit. 33. Hunc et insequentes vv. usque ad v. 48 eiecit Peerlkampus. 35-37. *an Catonis* codd.: *anne Curti* coniectura finxit Bentleius: *an catenis nobilitatum Regulum* machinatus est Hamacherus pro eo quod est *an Catonis Nobile letum. Regulum e. q. s.* 37-44. Hos vv. delevit Hauptius, cui assentitur Luc. Muellerus. 38. *Prodigum, Poeno superante, Paullum* ex cod. Reginensi protulit Bentleius. 45. *arvo* pro *aevo* coniecit Nic. Heinsius. 46. *Marcellis* ex coniectura edidit Peerlkampus, cui obsecuti sunt Luc. Muellerus et Hirschfelderus. 54. *domitor* coniecit Galeus, commendavit Peerlkampus. 55. *oris*, pro *orae* quod in sedem suam revocavit Bentleius, omnes prope editt. vett. praebent; codices vero scripturae *orae* tantummodo favere videntur. 57. *laetum* praetulerunt Torrentius, Dacierus, Oudendorpius, Ritterus, Nauckius, alii.

I, 13. — 2. *lactea* probaverunt etiam Peerlkampus

et Nauckius. 5. *Tum* aliquot codd., ut γφψλlδπτ Paris. 8213, receperunt plerique interpretes: ego vero Bentleium, Kellerum (cfr. edit. quam cum Haeussnero curavit), Schuetzium secutus sum. 6. *manet* ediderunt Bentleius, Peerlkampus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus. 16. *Quanta parte* coniecit Ramirezius de Prado. 19. *Divolsos* quidam codd. apud Muretum, inscio, ut videtur, Bentleio, qui ita legendum esse coniecit. 20. *haud citius solvit* commentus est Peerlkampus.

I, 14. — 4-9. Interrogationis nota non solum post *Aequor*, sed etiam post *latus* distinguendum esse opinatus est Bentleius, qui hac de causa *gemunt* et *Possunt* legere debuit: indicativum autem modum adamarunt Luc. Muellerus et Nauckius, etsi nullum illi *latus* interrogandi signum apposuerunt. — *Vix durare carina Possis imperiorius* excogitavit Peerlkampus. 10. *prensa*, adversantibus codd., maluerunt Nic. Heinsius et Peerlkampus. 14. *tumidus*, quod placuit Scaligero, in uno Galei cod. esse testatus est Bentleius. 17-20. Hos versus induxit Peerlkampus.

I, 15. — 2. *Helenam* praetulit Peerlkampus. 21. *Num* edidit Fea, laudavit Peerlkampus; sed *Non* omnium bonorum codd. auctoritate firmatur. 24. *Teucerque et Sthenelus* ex uno cod. Bentleius: eandem lectionem se in omnibus suis repperisse affirmavit Torrentius. 33-36. Hos versus Horatio temere adscriptos esse iudicarunt Peerlkampus et Meinekius. — *Pergameas* etsi in perpaucis codd. exstitisse videtur, probatum est Glareano, Cuninghamo, Oudendorpio, Luc. Muellero, Nauckio, aliis multis.

I, 16. — 5-7. Peerlkampus et Hauptius, Sanadoni exemplum secuti, verborum ordinem ita immutarunt, ut post *Non* in v. 5 *Liber aeque*, in v. 7 *Dindymene* collocaretur. — *adytis* codd.: *adyti* coniecit Hemsterhuysius, adprobante Peerlkampo. — *Mentis* pro *Mentem*, repugnantibus codd., legit Dorvillius. 8. *Si* pro *Sic* ediderunt post Bentleium Meinekius, Peerlkampus, Luc. Muellerus, Dillenburgerus, Nauckius, alii; praeterea Peerlkampus *non si acuta Ingeminant* Horatium dedisse credidit, quod quidem commentum refutavit Meinekius. 13-16. Hos versus respuit Peerlkampus. — *coactam* suspicatus est Bentleius, sed codd. scripturam servavit.

I, 17. — 4. *Ipse* pro *Usque* coniecit Peerlkampus. 5. *totum* cum quibusdam Lambini codd. Bentleius, cui perpauci obtemperaverunt. 9. *haeduleae* pro *Haediliae* ex coniectura Bentleius: *hoeduleae* Peerlkampus. 14. *Hic* pro *Hinc* adsciverunt Fabricius, Dacierus, Bentleius, Peerlkampus, Ritterus, alii multi inter recentiores. 16. *honorem* coniecit Peerlkampus: *honore* habent nonnulli codd. Porphyrionis. 19. *Disces* admodum pauci, in his B.

I, 18. — 7. *At* maluerunt Peerlkampus, Ritterus, Luc. Muellerus, Dillenburgerus, Schuetzius.

I, 19. — 2. *Semeles* ediderunt Bentleius, Ritterus, Trezza, Luc. Muellerus. 11. Pro *Et versis* habent *Aversis* Aa cum paucis. 12. *attinet* pauci, velut Rφψ: *adtinent* L[1].

I, 20. — Hoc carmen ab Horatio scriptum non esse pro certo habuit Peerlkampus. 5. *Clare* praetulerunt Oudendorpius, Luc. Muellerus, alii pauci: « Sen-

tentia carminis » inquit Peerlkampus « magis postulat *care.* » 10. *Tu bibes* legerunt etiam Bentleius, Peerlkampus, Ritterus, Trezza, Dillenburgerus, Schuetzius, Nauckius: *Tum bibes* ex Doederlini coniectura Luc. Muellerus, Hirschfelderus: *Tu liques* Kruegerus: alii alia coniecerunt.

I, 21. — 5. *comam* ex quattuor Blandiniis et Graeviano suo recepit Bentleius, cui paruit Nauckius. 10. *sacram* pro *mares* potius legendum esse suspicatus est Peerlkampus. 12. *humeros* codd. non habent, sed longe pulchius esse affirmavit Peerlkampus. 13. *Haec* pro *Hic* coniecit Bentleius. 14. *Pestemque a populo, principe Caesare, in* Oudendorpius atque ante eum Ioseph. Scaliger.

I, 22. — 2. *Mauri* admodum pauci, in his Parisini 7973, 8213. 11. *expeditis* plerique codd. cum Blandiniis: *expeditus* ℨ Paris. 7973 Mellicensis alii pauci quos potiores habuit Bentleius. 13-16. Hos versus Horatii non esse existimavit Peerlkampus, assentiente Luc. Muellero. — *Daunia in latis* complures editt. veteres et Bentleius, qui tamen *Dauniae latis* non contemnendum esse putavit. Illud vero *in* nulli codd. exhibere videntur. 21. *nimii propinquo* coniecit Peerlkampus.

I, 23. — 1. *hinnuleo* ediderunt etiam Peerlkampus, Trezza, Dillenburgerus, Nauckius: *inuleo* Schuetzius et Hirschfelderus. 5, 6. *veris... Adventus* probaverunt Ritterus, Luc. Muellerus, Schuetzius, Nauckius: *vepris... Ad ventum* Doeringius, Trezza, Dillenburgerus, Hirschfelderus.

I, 24. — Versus 1-4 a quodam grammatico prave

fictos esse iudicavit Peerlkampus. 6. G. Waddelii emendationem *et Iustitia et soror* laudavit Peerlkampus. 8. *inveniet* omnes, ut videntur, codd.: *invenient* plurimae editt. ante Bentleium, qui codd. lectionem revocavit. 13. *Quod si* L𝔇σ[1] alii pauci, suffragantibus Bentleio, Doeringio, Peerlkampo, Trezza, Schuetzio. 15. *Num* omnes Kelleri codd.: *Non* varia lectio cod. Montepessulani, receperunt ob eamque causam interrogandi signum post *gregi* (v. 18) non admiserunt Bentleius, Doeringius, Peerlkampus, Trezza, adversante Schuetzio, qui *Num* praeferendum esse arbitratus est.

I, 25. — 1. *vinctas* aliquot codd. Bentleii et aliorum. 2. *Ictibus* ediderunt Bentleius, Doeringius, Peerlkampus; recentiores vero interpretes *Iactibus* praeferre non dubitarunt. 7. *longam... noctem* ex coniectura edidit Bentleius, refragante Peerlkampo. 11. *bacchata* aptius esse putavit Bentleius, sed vulgatam lectionem retinuit. 17. *virente* complures codd., in his φψδgπ Parisini 7973, 8213, adprobante Bentleio. 20. *Euro* maluit etiam Rutgersius; reposuerunt Bentleius, Doeringius, Peerlkampus, Luc. Muellerus, Nauckius, Hirschfelderus.

I, 26. — 5. *Quod* pro *Quid* ex coniectura edidit Luc. Muellerus. 9. *Piplea* edidit Kellerus: *Pimplea* plerique: *Pimplei* etiam Doeringius et Nauckius. 10. *Possunt* praetulerunt Doeringius et Peerlkampus.

I, 27. — 3. *inverecundumque* ab Horatio scriptum esse persuasum habuit Bentleius; sed id nullo codice comprobatur. 5-8. Hos versus Horatianum colorem minime tueri opinatus est Peerlkampus. 14. *Qua*

te cumque (id est puella, abl.) coniecit Peerlkampus. 19. *laboras in* ediderunt etiam Meinekius, Trezza, Luc. Muellerus, vituperavit Peerlkampus.

I, 28. — 4. *Funera* coniecit Nic. Heinsius. 5. *Aerias* codd.: *Aetherias* ex coniectura protulit Meinekius, recepit Hauptius, plaudente Peerlkampo. 8. *Tithonusque receptus in astra* coniecit Peerlkampus. 18. *Avidis* pleraeque editt. ante Bentleium qui *Avidum* merito restituit. 19, 20. Hos vv. iniuria a Peerlkampo culpatos et deletos esse demonstravit Meinekius, qui *mixta senum iuvenum* coniecit. 21. *Te quoque* forte legendum esse scripsit Nic. Heinsius. 24. *inhumato* codd.: *intumulato* maluit Peerlkampus. 31. *fors et* plerique ediderunt: *forset* cum Kellero legit etiam Schuetzius. 32, 33. *superbe* ex coniectura Passeratius; idem *inultus* pro *inultis* posuit.

I, 29. — 4. *horribilisque* coniecit atque edidit Bentleius. 13. *nobiles* Rφψλlδπ Parisini 7973, 8213, alii, opp. AaγτL Mellic. Monac. 14685, in quibus est *nobilis*, quod quin ad Panaetium attineret Bentleius non dubitavit, probantibus Trezza, Dillenburgero, Luc. Muellero, Nauckio, Hirschfeldero, quibus adstipulandum esse arbitror: *nobiles* vero ediderunt Doeringius, Peerlkampus, Ritterus.

I, 30. — Hoc carmen ex centonibus Horatianis compositum esse iudicavit Peerlkampus.

I, 31. — 3, 4. *opimae... feraces* omnes optimae notae codd.: *opimas... feracis* scripsit Cruquius, cuius lectionem avide arripuit Peerlkampus, non improbante Schuetzio: *opimae... feracis* ediderunt Bentleius et Hirschfelderus. 5. *grata* omnes codd., sed hanc

tionem corruptam esse multi opinati sunt; quare, ceteros omittam, *lata* coniecit Meinekius, *Graia* erlkampus, *lueta* Paldamus: vulgatam vero scriptum bene tutatus est Schuetzius. 9-16. Hi versus mmenticii et ficti visi sunt Guieto et Peerlkampo.— *ilenam* probavit Luc. Muellerus. — *dives ut* post Benleium edidit Kellerus cum Haeussnero. — *pascant* anaquillus Faber ex coniectura, Bentleius autem x cod. Regiae Societatis protulit. 18. *Letoe* vel *aetoe* pauci, veluti φψδl Paris. 8213. — *at* placuit etiam Rittero: *ac* Peerlkampo, Luc. Muellero, Hirschfeldero: *t* Doeringio, Trezzae, Kellero, Dillenburgero, Schuezio, Nauckio.

I, 32. — 1. *Poscimus, si quid vacui* maluerunt Lambinus, Bentleius, Schuetzius. — *sub umbra* omnes prope codd.: *sub antro* ex cod. Galeano Bentleius. 15. *mihi, cuique, salve* esse corrigendum sibi persuasit Bentleius, sed nihil mutavit: *mihi tuque salve* coniecit Peerlkampus: *mihi iunge salve* Madvigius: Ritterus autem *mihi* cum *cumque* coniunxit ut sic esset intellegendum « mihi, quicumque sum, h. e. cuiuscumque pretii sum », quod quidem a veritate remotum est.

I, 34. — 13. *insigne* ex varia cod. Reginensis lectione expressit Bentleius, non improbante Peerlkampo.

I, 35. — 3. *corpus* codd.: *sursus* coniecit Lachmannus: *volgus* Peerlkampus. 5, 6. Marklandus sic distinguendum esse censuit, adversante Peerlkampo, *Te pauper... prece. Ruris colonus te dominam, aequoris e. q. s.* 14. *frequens* codd.: *fremens* excogitavit Bentleius. 17-20. Hos versus ab Horatii poesi alienos esse credidit Peerlkampus. — *saeva* defendit Bentleius:

serva habet edit. Veneta an. 1478, item editt. Ritteri, Trezzae, Luc. Muelleri. 21, 22. *cana* pro *rara* et *amictu* pro *velata* substituendum esse censuit Peerlkampus. In *panno* autem alii quoque mendum inesse putaverunt, in his Luc. Muellerus, qui tamen cum et Meinekii *peplo* et Sengeri *palla* non admiserit, quo modo hunc locum emendari velit ignarus sum. — *nec comitem abnegat* codd., probante Bentleio: *sed comitem abnegat* commentus est Peerlkampus. 24. *linquis* codd.: *vertis* coniecit Bentleius. 29, 30. *in ultimos, Oro, Britannos* emendandum esse statuit Bentleius. 36. *manum* codd.: *manus* edit. Veneta an. 1478 unde id in plerasque editt. fluxisse Bentleius putavit. 39. *defingas retusum* edidit Bentleius, sed *defingas recoctum* ab Horatii manu profectum esse existimavit. Pro *retusum* autem ex uno cod. Blandinio *recusum* assumpsit Lambinus: *refusum* ex coniectura protulit Seyffertius, quod rectum quidem esse sed minime necessarium Schuetzius animadvertit.

I, 36. — 1. *thure* admodum pauci, ut g Paris. 8213. 13. *Nec multi* Apr. φψδπL Parisini 7978, 8213, alii, patrocinante Peerlkampo, qui praeterea ante hunc versum, mutato ordine, vv. 15, 16 collocandos esse contendit. Ceterum etiam in v. 12 *Nec* exhibent codd. quorum modo mentionem feci. 15. *Nec* cum perpaucis R.

I, 37. — 2-4. *Nunc Saliaribus Ornate pulvinar Deorum, Tempus erat, dapibus, sodales* legendum et distinguendum esse arbitratus est Peerlkampus. 5. *Anthac*, repugnantibus codd., Luc. Muellerus. 9, 10. *congrege* correxit Ios. Scaliger, cuius coniecturam, tribus

codd. suis firmatam, cum Cruquius in versum recepisset, ob eam rem a Barthio laudatus est, indignante Bentleio. Hic autem *Opprobriorum* pro eo quod est *Morbo virorum* coniecit; nihil tamen mutavit. 18. *leporem premit* excogitavit Peerlkampus. 24. *Classe cita penetravit oras* Horatio adscripsit Bentleius, cuius coniecturam omnium probabilissimam esse recte affirmavit Schuetzius. 25. *tacentem* unus cod. Bersmanni, adprobante Bentleio.

I, 38. — 5-7. *curo* omnes prope codd.: *curae* cod. Bodleianus, recepit Peerlkampus, qui totum locum sic legit et distinxit *Simplici mirto nihil allabores. Sedulum curae neque te ministrum Dedecet*: Bentleius autem ex coniectura edidit *Sedulus, cura*: *neque e. q. s.*

II, 1. — 5. *uncta* codd.: *tincta* vero ex coniectura emisit Bentleius: *uda* maluit Peerlkampus. 9-12. Hos versus delendos esse censuit Peerlkampus. 19. *fulgur* cum perpaucis codd. Oudendorpius. 21. *Videre* pro *Audire*, invitis codd., edidit Bentleius, quod coniectura iam assecutus erat Beroaldus: *Sudare* Horatium dedisse putavit Peerlkampus: *anteire... video* Hanowius: *adire... video* Gruppius. 25-28. Hos versus ab Horatio compositos non esse credidit Peerlkampus. 32. *Quis gurges* perpauci codd. 37. *Musa, procax iocis* distinxerunt Kellerus, Luc. Muellerus, Schuetzius. 38. *funera* ex coniectura legit Nic. Heinsius: *vulnera*, quod Chabotius in vetustis quibusdam exemplaribus se invenisse falso, si Bentleium audimus, affirmavit, magnopere arrisit Peerlkampo, qui praeterea *Ceae neniae* in *Cea naenia* mutavit, quasi versus sic esset constituendus *Cea retracles vulnera naenia.*

II, 2. — 1-3. *Abdito* omnes codd., restituit Bentleius Lambinum refellens quod, neglecta librorum auctoritate, *Abditae* hunc in modum reposuisset *Nullus argento color est, avaris Abditae terris inimice lamnae Crispe Sallusti, nisi temperato*; Bentleius vero novam distinctionem invexit *Nullus argento color est avaris Abdito terris*; *inimice lamnae Crispe Sallusti e. q. s.* 11. *uterque Pontus* coniecit Schraderus: *uterque Phoebus* Peerlkampus! alii alia machinati sunt. 14. *Nec sitim pellas*, repugnantibus codd., Peerlkampus. 18. *plebis* habuerunt etiam codd. Blandinii, adprobante Cruquio. — *beatum* pro *beatorum* ex paucis libris scriptis, quibus adnumerandi sunt A² φ² *l* Paris. 8213 Gronovianus, adsciverunt Fea, Bothius, alii. Cfr. Kelleri Epil., p. 126: *beato* coniecit Peerlkampus. 21-24 Hos versus sic legere maluit Peerlkampus, quo magis « elegantiam Horatianam » agnosceret, *Vocibus, regnum proprium atque tutum Deferens uni, diadema et auri Quisquis ingentes oculo irretorto Spectat acervos.*

II, 3. — 9-13. *Qua pinus* cum quibusdam Lambini codd. Bentleius, assentientibus Doeringio et Peerlkampo; iidem cum *Ramis, et obliquo* contra codd. fidem edidissent (quamquam Bentleius *Ramosque et obliquo* forte legendum esse cogitavit), nullum interrogationis signum post *rivo* posuerunt. Quare hos versus sic legendos et interpungendos esse existimarunt *Qua pinus... ramis, et obliquo laborat... trepidare rivo; Huc vina e. q. s.* Eos imitati sunt Ritterus et Trezza; nisi quod uterque *Quo* pro *Qua* restituit, Ritterus autem *Ramis quo et obliquo*, nonnullis suffragantibus codd., scribere maluit. Ego vero Kellerum, Dillenburgerum,

Luc. Muellerum, Schuetzium, Nauckium, Hirschfelderum secutus sum; neque est praetereundum Lachmannum *Quor* pro *Quo* coniectura finxisse, alios denique aliis commentis hunc locum temere sollicitasse. — *aitaque populus* suspicatus est Lambinus, improbantibus Bentleio et Peerlkampo. 16. *aria* pro *atra* coniecit Peerlkampus. 21-23. *prisco et natus* nullo codice fretus Peerlkampus, qui praeterea *moraris* pro *moreris* ex coniectura reponere maluit, cum Wakefieldio ita distinguens *infima De gente*: *sub divo moraris e. q. s.* 28. *Exilium* AaRBγτ Meiliocensis Monac. 14685 alii: *Exitium* φψλlδπβ Parisini 7973, 8213 alii.

II, 4. — 9-12. Haec Peerlkampus a quodam Horatii imitatore exarata esse putavit, atque id ratum habuit Luc. Muellerus. 18. *dilectam*, quod etiam omnes Cruquiani praebent, Bentleius iure vindicavit. 24. *Condere* pro *Claudere* coniecit Bentleius.

II, 5. — 11. *Distinguet* codd.: *Distendet* somniavit Peerlkampus. 12. *Purpureus vario* aliquot Lambini codd., reclamante Bentleio qui *Purpureo varios* ex coniectura proposuit: *Purpureo varians* praetulit Peerlkampus. 13-17. Pro *ferox*... *fugax* Cruquius et Wakefieldius *fugax*... *ferox* legere maluerunt. — *et illi, quod tibi demserit, Adponet annus* ex Bentleii coniectura edidit Luc. Muellerus, commendavit etiam Peerlkampus, nisi quod *demseris* melius esse credidit. 21-24. Hos versus sprevit atque reiecit Peerlkampus.

II, 6. — 7. *Sit domus lasso* coniecit Peerlkampus, cui pauci Horatii interpretes suffragati sunt. 18, 19. *apricus Aulon Fertilis Baccho* correxit et edidit Bentleius, cui obsecutus est Meinekius, adversante Luc. Muel-

lero: *amictus Aulon Fertili Baccho* Luc. Muellerus ex Heinsii coniectura, quam Peerlkampus amplissimis laudibus extulerat.

II, 7. — 8. *Quiritem* commentus est Heinsius, adprobavit Peerlkampus. 11, 12. *et minaces, Turpe! solum tetigere mento* distinxit Peerlkampus: *et minaces, Turpe, solum* ediderat Bentleius. 16. *Unda freti tulit aestuosi*, opp. codd., Peerlkampus. 26. *Dicit* coniecit Withofius, laudavit et comprobavit Peerlkampus.

II, 8. — 2. *Barine* vitiosum esse complures affirmarunt; quare multae prolatae sunt coniecturae, ut Tanaquilli Fabri *Earine*, Bentleii *Larine* vel *Nerine*, Withofii *Iberine*, Meinekii *Carine*, Peerlkampi *Barcine*; sed nihil mutandum. 3. *uno* codd.: *unco* coniecit Horkelius, commendavit sed in versum non admisit Luc. Muellerus: *albo* maluit Usenerus. 23, 24. *Cura* pro *Aura* dubitanter proposuit Bentleius: *retardent Ora* coniecit Usenerus.

II, 9. — 3. *Vexant* omnes paene codd.: *Versant* ex perpaucis deterioribus Fea. 22. *volvere* uno fere consensu codd.: *vertere l* pr.

II, 10. — 6. *Diligit, tutus caret* interpungunt plerique, suffragantibus codd.: post *tutus* distinxit Bentleius, quem imitatus est Nauckius. — *obsoletis* habent Rφψδπ alii pauci. 9. *Saepius* omnes ad unum codd.; at *Saevius* in cod. Sorbonensi expressum exhiberi asseveravit Valartius, quod temere dictum esse animadvertit Kellerus in Epil., p. 144: haec tamen lectio Burmanno, Sanadono, Feae, aliis in deliciis fuit, improbante Peerlkampo. 10. *et celsae* omnes codd.: *excelsae* maluerunt Cuninghamus, Fea, Bothius, alii,

quos iure redarguit Kellerus. 12. *Fulmina*, quod hoc loco Hieronymum legisse constat, ex paucis codd. deprompserunt pleraeque editt. vett.; Bentleius vero *Fulgura* in sedem suam reduxit. 18, 19. *citharae* primus, ut videtur, edidit Bentleius, quem secutus est Meinekius cum aliis paucis: *cithara tacentes Suscitat Musas* coniecit Peerlkampus.

II, 11. — Hoc carmen Horatio indignum esse arbitratus est Peerlkampus; Meinekius contra « orationis castitate imaginum venustate sensuumque veritate » magnopere laudandum esse praedicavit. 4. *in usum* omnes codd.: *in usu* schol. cod. Dessaviensis *A*, probaverat et receperat Kellerus, sed in novissima edit. vulgatam lectionem restituit. 16. *Assyrioque* edidit Luc. Muellerus; sed *nardum* feminino genere dici adnotaverunt Pseudo-Acron et Porphyrion. 17. *Dissipet* coniecit Nic. Heinsius, non improbante Bentleio. 23, 24. *incomptam Lacaenae more comam religata nodo* post Bentleium ediderunt etiam Doeringius, Luc. Muellerus, Kellerus, Schuetzius: ego vero Ritteri, Trezzae, Dillenburgeri, Hirschfelderi lectionem amplexus sum: *in comptum... comam... nodum* maluit Nauckius.

II, 12. — 2. *dirum* praetulit Peerlkampus. 6. *domitosve* contra codd. Cuninghamus et Peerlkampus. 7. *periculum* codd.: *per aethera* scripsit Lehrsius, dissentiente Schuetzio, qui *periclitans* ad locum emendandum idoneum esse iudicavit. 9-11. *neve pedestribus Dici carminibus proelia Caesaris, Maecenas, iubeas* coniecit Lehrsius, adversante Schuetzio. Ceterum pro eo quod est *tuque* Ungerus *tute* excogitavit: Schuetzius *tunc* aptius esse putavit. 12. *minantium* cum

perpaucis β^1. 13. *Liciniae* δL Parisini 7973, 8213, quod cum ab aliquot « editoribus » adscitum esset, iure apud Bentleium offensionem habuit. 14. *lubricum* pro *lucidum* coniecit Peerlkampus. 17. *dedeceat* suspicatus est Peerlkampus. 25. *Dum* ediderunt plerique Bentleium imitati: *Cum* Ritterus, Kellerus, Schuetzius, Hirschfelderus. —*flagrantia* omnes prope codd.: *fraglantia* Leidensis 21 (Vossianus) Parisini 7973, 8213, cfr. schol. φ « redolentia »: *fragrantia* placuit Lambino. 26. *et facili* coniecit Peerlkampus. 28. *occupet* editt. ante Bentleium, qui primus *occupat* legendum esse censuit, assentientibus Doeringio, Peerlkampo, Rittero, Trezza, Luc. Muellero, Schuetzio, Nauckio.

II, 13. — 1-4. Hos versus Guietus et Peerlkampus ademerunt. — *Illum et nefasto* coniecit Nic Heinsius: *Illum, o, nefasto* ex coniectura protulit Bentleius. 8. *Colchica*, quod est in φψlπL Parisinis 7973, 8213, exhibent omnes, ut videntur, editt. ante Bentleium, qui *Colcha* ex multis codd. receptum firmissimis argumentis tutatus est. 14, 15. *navita Bospori Aestus perhorrescit* coniecit Peerlkampus. Ceterum *Thoenus* pro *Poenus* fabricatus est Linkerus. 16. *timetve* ex Lachmanni correctione ediderunt Luc. Muellerus, Hirschfelderus, alii. 17, 18. *reducem* pro *celerem* fortasse reponendum esse existimavit Bentleius: *celeris fugam Parthi* excogitavit Peerlkampus. 23. *discretas* ediderunt Bentleius, Doeringius, Ritterus, Trezza, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Nauckius, Hirschfelderus, opp. Kellero et Schuetzio, quorum lectio mihi potior fuit. 28. Post *mala* cum aliquot codd. plerique distinxerunt; post *fugae* Kellerus et Nauckius. 32. *hi-*

ri pro *umeris* coniecit Nic. Heinsius: *humili* aut potius *ida* Bentleius: vulgatam lectionem defendit Peerlampus. 35. *Fauces* pro *Auris* legendum esse puavit Peerlkampus; idem *intortas* coniecit. 38. *laorum* editt. ante Bentleium, qui recte, nisi fallor, *aborem* praetulit, adversantibus Doeringio, Peerlkampo, Rittero, Trezza, Dillenburgero, Schuetzio, Nauckio, Hirschfeldero. 40. *timidas* pauci codd. apud Bentleium aliosque.

II, 14. — 5, 6. *dies Annique* somniavit Peerlkampus. 18. *Cocytos* maior pars codd., restituit Bentleius. 27. *superbo* ediderunt Bentleius, Peerlkampus, Ritterus, Trezza, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, alii, quibus adnumerandus est Schuetzius, quamquam hic *superbum* fortasse rectius esse professus est.

II, 15. — Aliquot codd., in his AaBRτ Monac. 14685 hoc cum superiore carmine in unum coniunxerunt. Peerlkampus autem universam huius carminis rationem ita contempsit, ut ab Horatii ingenio omnino alienum iudicaverit. 5, 6. *violaria Myrtusque* ex coniectura Glareanus, ex uno autem libro scripto Fabricius. 12. *forma* pro *norma* pauci codd., ut πL Leidensis 21 (Vossianus).

II, 16. — 1. *impotenti* pro *in patenti* legit Gesnerus, non probante Peerlkampo. 2. *pressus* pauci codd., in his λ^2 Parisini 7973, 8213: *Presus* λ^1. 13. *ubi paternum* coniecit Peerlkampus: *bene: cui paternum* distinxit Rutgersius. 19. *Sole mutamus patria?* nescio quis ex coniectura protulit apud Bentleium, commendante Peerlkampo. 21. *puppes* pro *navis* exhibent excerpta Bodleiana, plaudentibus Bentleio et Peerl-

kampo. 25-27. *Laetus in praesens animi, quod ultra est Oderis curare, et amara leni Temperes risu* coniecit Bentleius: vulgatam lectionem laudavit Peerlkampus, nisi quod Bentleianum illud *Temperes* libenter sumpsit. 31. *Et tibi forsan, mihi* invitis codd. Peerlkampus: *forset* aut *fors et* habent Bφψδπ alii pauci.

II, 17. — 3. *abire* coniecit Peerlkampus. 5. *A* maior pars codd. 13-32. Hos versus ab ignoto quodam grammatico Horatiano carmini adiectos esse credidit Peerlkampus. 14. *Gyas* ediderunt Trezza, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus: *Gyes* Nauckius: *Gyges* praetulit Doeringius: *Gigas* Ritterus, Kellerus, Schuetzius, cui tamen *Gyas* fortasse rectius esse visum est. 18. Comma post *formidolosus*, auctore Nauckio, deleverunt Schuetzius, Kellerus cum Haeussnero. 24. *volucres* quidam Lambini codd., unus Bersmanni, Petrensis Bentleii; hic vero cum *volucris* praetulisset, tamen id sic accipere voluit, ut, ex antiqua scribendi ratione, idem plane valeret ac *volucres*; quod mihi non fit verisimile. 25. *cui* ex Lachmanni coniectura ediderunt Trezza et Luc. Muellerus. 32. *humiles* duo Blandinii.

II, 18. — 21. *Promovere litora* ex coniectura proposuit Peerlkampus. 25. *limitem* δπLg Parisini 7973, 8213. 30. *lege destinata* commentus est Peerlkampus: *sede destinata* cum Bentleio Meinekius, Hauptius, alii pauci. 34. *Regumque proli* coniecit Luc. Muellerus, ratus grave vitium in illo *pueris* latere quod codd. summo consensu praebeant. Idem prius *puris* pro eo quod est *pueris* scribendum esse existimaverat.

II, 19. — 7. *Laetatur* codd.: *Lymphatur* substituit Dan. Heinsius. 9. *est* probavit Peerlkampus. 13, 14. *Fas est* suspicatus est Peerlkampus; idem *additam Stellis coronam* Horatium scripsisse putavit. 15. *levi* habent πg Parisini 7973, 8213, receperunt nonnullae editt. veteres, improbante Bentleio. 23, 24, *Rhoetum* ad omnium exemplarium fidem edidit et defendit Bentleius; *Rhoecum* enim (quod ex uno cod. ab alt. manu protulerat Cruquius) in plerasque editt. irrepsisse videbat. — *retorsisti in* coniecit Peerlkampus. — *horribilisque* maluit Bentleius, reclamantibus codd.; quod recte factum esse affirmavit Luc. Muellerus. 25-28. Horum versuum originem a glossa in metrum redacta repetivit Peerlkampus.

II, 20. — Hoc carmen ab Horatii manu profectum non esse complures memoria nostra sibi persuaserunt, in his Schuetzius. Peerlkampus vero tantummodo vv. 9-12 ab Horatio abiudicavit; quod quidem Luc. Muellero ratum fuit. 6. *quem vocant* ex Bentleii coniectura recepit Kellerus. Sunt aliae coniecturae, ut *quem probas*, *quem evocas* (*De plebe* pro eo quod est *Dilecte*): vulgatam vero lectionem hoc loco Peerlkampus tueri non dubitavit. 11. *Superna* ex vetustis quibusdam codd. Muretus, laudavit et confirmavit Bentleius. 13. *tutior* placuit Meinekio, Luc. Muellero, aliis paucis: *notior* ex codd. edidit Kellerus, recepit Nauckius: *audacior* finxit Peerlkampus: nec defuerunt qui *doctior*, *cautior*, *certior* fabricarentur. Sed coniecturis nihil opus est. 19, 20. *me peritus Discere* maluit Peerlkampus, opp. codd. Verbum quidem *peritus* complures suspectum habuerunt; sed id per

anticipationem dictum esse animadvertere oportuit. 21. *inanes*... *naenias* coniecit Peerlkampus.

III. — Carmina 1-3, 5, 6 huius libri inter se tam apte cohaerere, ut unum gnomicum carmen in duodecim partes distributum efficiant, apud Peerlkampum legimus. Qui cum illud a grammaticis multimodis depravatum atque additis versibus magnopere auctum putaret, hinc factum esse statuit, ut in varia carmina a librariis discerperetur. Sed de hoc carmine et de Peerlkampi aliorumque commentis videnda sunt quae singillatim ac distincte disseruit Schuetzius in Appendice critica editionis suae.

III, 1. — 1-4. En tibi Praefationem commenticii illius carminis gnomici. Post versus 5-8 Peerlkampus vv. 1-4 carminis 5 collocavit, ut ex his cunctis primam gnomici carminis partem constitueret. Sequuntur quattuor partes octonorum versuum ad hunc modum 1. 9-16; 17-24; 25-32; 41-48. 9. *Esto, ut vir* coniecit Bentleius. 33-40. Hos versus a male sedulo grammatico adiunctos esse contendit Peerlkampus. 44. *ve* pro *que* ex coniectura edidit Bentleius. 48. *onerosiores* excogitavit Bentleius; tamen receptam ubique lectionem, cum nullius cod. auctoritas accederet, reicere noluit.

III, 2. — Versibus 1-12 sextam carminis gnomici partem contineri iudicavit Peerlkampus, septimam ex vv. 2. 13-16 et 5. 5-56; octavam ex 2. 17-24 et 3. 9-16: nonam ex 2. 25-32 constare arbitratus. 14. *consequitur* coniecit et edidit Bentleius. 16. *que* praetulerunt Peerlkampus, Trezza, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Nauckius. 18. *Incontaminatis* Paris. 7973

um aliis perpaucis: adsciverunt tamen Palmannus t Cruquius, non repugnante Bentleio: Withofii conecturam *Interminatis* commendavit Peerlkampus: alii *Contaminatis* excogitarunt. 19. *Nec ponit aut sumit* rum perpaucis codd. (L Regin. Paris. 9345) Nauckius. 28. *quae* reposuerunt etiam Ritterus, Kellerus, Schuetzius, Nauckius, Hirschfelderus: nimium Bentleii correctioni tribuerunt Peerlkampus, Trezza, Dillenburgerus, alii.

III, 3. — Ex vv. 1-8 Peerlkampus decimam partem carminis gnomici effecit. Idem, ut supra memoravi, versus 9-16, *arte* in *ante* mutato, post versum 2. 24 collocandos esse censuit, ut una cum vv. 2. 17-24 octavam gnomici carminis partem constituerent; ceteros denique tertii huius carminis versus ab Horatio scriptos esse infitiatus est. 6. *magna Iovis manus*, quod omnes prope editt. habebant, reiecit Bentleius et *magna manus Iovis* summa librorum scriptorum consensione restituit. 9. *hac vagus* coniecit Cuninghamus, adversante Peerlkampo. 12. *bibit* reposuerunt Doeringius, Nauckius, Hirschfelderus, alii; improbavit Luc. Muellerus. 16. *Patris equis* scribendum esse firmissime asseveravit Barthius, assentiente Bentleio: id vero nullius boni cod. testimonio niti videtur. 21. *ex qua* commendavit Luc. Muellerus, sed a vulgata lectione non recessit. 23. *damnatam* edidit etiam Ritterus. 31. *invictum* pro *invisum* coniecit Lehrsius. 32. *Troica* codd.: *Troia* ex Nic. Heinsii coniectura edidit Bentleius. 53. *Quicumque* codd.: *Quacumque* coniecit Bentleius, a quo iure *mundo* restitutum est; *mundi* enim, auctore, ut videtur, Lambino,

plerasque editt. occupaverat, cum illud *mundo* omnes bonae notae codd. exhiberent. 54. *tangat* cum Bentleio plerique ediderunt: *tanget* Kellerus et Nauckius. 69. *haec... conveniunt* complures editt. ante Bentleium, a quo vera lectio vindicata est; illud tamen retinuerunt Doeringius et Peerlkampus: *haec... convenient* ex suis codd. protulerat Lambinus.

III, 4. — Versus 9-20, 49-72, 77-80 a grammaticis insertos esse opinatus est Peerlkampus. 4. *Et fidibus* coniecit Peerlkampus. — *citharaque* melius esse suspicatus est Bentleius, ediderunt autem Doeringius, Peerlkampus, Trezza, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Schuetzius, Nauckius, adversantibus Rittero, Kellero, Hirschfeldero. 6. *Audivi et video pios* machinatus est Peerlkampus. 10. Hunc versum desperatum vocavit Luc. Muellerus; tamen Baehrensii coniecturam *limina pergulae* magni fecit: idem illud Madvigii *limina villulae* non recte excogitatum esse iudicavit. Aliorum coniecturas pro *Apuliae*, ut Herbstii *cellulae*, Braunhardi *patriae*, Ungeri *Lupiae*, Lehrsii *devio* vel *devium*, commemoravit Schuetzius, qui cum *Apulo* (v. 9) potius emendandum esse censeret, omnium verisimillimum illud *avio* putavit, quod pro *Apulo* ex coniectura edidit Kellerus *limen Apuliae* intactum relinquens. Ceterum *Altricis* ediderunt Bentleius, Peerlkampus, Ritterus, alii multi, refragantibus Kellero, Schuetzio, Hirschfeldero. 26. *Non me Philippi, versa acie retro*, legit Peerlkampus, quo « magis poeticus » versus esset. 31, 32. *arentis arenas* vel *arentes arenas* praetulerunt Bentleius, Doeringius, Dillenburgerus, Nauckius (*harenas*): *ardentes* coniecit Wi-

›fius, adprobavit Peerlkampus, qui praeterea *Astyrii* librariis corruptum esse et in *Assyrii* mutatum ›itratus est. 38. *fessas* codd.: *fessus* ex coniectura ›mbinus, non improbante Bentleio. — *reddidit* maerunt Bentleius, Peerlkampus, Schuetzius, Hirschlderus: *abdidit* Ritterus, Trezza, Dillenburgerus, Luc. uellerus, Nauckius: *addidit* Orellius, Kellerus, alii auci. 43. *turmam* maluerunt etiam Peerlkampus, ›itterus, Trezza, Dillenburgerus, Nauckius, Hirschelderus; iidem *turbas* in v. 47 edendum curaverunt, eclamantibus Kellero et Schuetzio, qui *turbam*... *turnas* praeferendum esse viderunt. 46. *Ventosum*; *et umbras* legit et distinxit Bentleius illud *umbras* ex coniectura reponens: *Ventosum et undas* coniecit Peerlkampus. 69-72. Hos versus reiecerunt Luc. Muellerus et Schuetzius, Buttmanno et Meinekio obsecuti. — *Gigas* edidi cum Rittero, Kellero, Schuetzio: *Gyas* maluerunt, auctore Lambino, Trezza, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus: *Gyes* Nauckius: *Gyges* cum Bentleio etiam Doeringius. 76. Plerique codd. *Aetnen* exhibent; non pauci *Aethnam*: ego vero Kelleri argumentis ac rationibus permotus (cfr. Epil., p. 206 sq.) *Aetnen* per *t* litteram, non per *th*, describendum curavi. 77-80. Hos versus a quodam grammatico additos esse Peerlkampus pro certo dixit.

III, 5. — Versus 1-4 Peerlkampum post vv. 1. 5-8 transtulisse, ut ex octo his versibus primam gnomici carminis partem conflaret; reliquos autem, h. e. vv. 5-56, post vv. 2. 13-16 ad septimam eiusdem carminis partem constituendam collocasse, ex iis, quae supra dicta sunt, satis apparet. 5. *in coniuge bar-*

bara suspicatus est Peerlkampus. 8. *armis* « unice verum » iudicavit Peerlkampus. 10. *et nominis.* Omiserunt *et* etiam τ Paris. 7973 Monac. 14685 cum plerisque editt. vett.; sed recte eam particulam ex compluribus codd. restituit Bentleius. 15. *exemplo trahenti* probaverunt etiam Lambinus, Doeringius, Peerlkampus, Kellerus. 17. *perirent* commendavit Bentleius: *perirent inmiserabiles* ex Bentleii coniectura edidit Luc. Muellerus: *perires immiserabilis* typis mandavit Hirschfelderus. 21. *Direpta* maluerunt Ritterus, Trezza, Nauckius. 33. *se dedidit* ex coniectura emisit Bentleius. 37. *Hic,... sumeret aptius* edidit Nauckius: *Hinc,... sumeret inscius* Trezza. 51. *amices*, quod in Loscheri edit. illapsum erat, iure culpavit Bentleius. 53-55. *Quam qui... lite relinquit, et Tendit* commentus est Peerlkampus.

III, 6. — Ex vv. 1-8 Peerlkampus undecimam carminis gnomici partem effecit; reliquos autem, relectis vv. 9-16 et 25-32, quippe quos non Horatianos esse iudicasset, ad duodecimam partem rettulit. 1. *meritus lues* coniecit Peerlkampus. 19. *labes* pro *clades* maluit Peerlkampus, adversantibus codd. 20. *Inque patres populumque* quod Bentleius coniecit atque edidit, iure ac merito Peerkampus reprehendit. 22. *fingitur artubus* φψlδπLβ Paris. 7973, 8213, alii, suffragante Porphyrione his verbis « *Artubus* legendum, quia non venit a nominativo *artes*, sed *artus* »: *frangitur artubus* unus Torrentii cod., alter Pulmanni, plures Lambini, teste Bentleio.

III, 7. — 4. *Constantis* habent omnes libri scripti: *Constanti... fide* editt. principes, Veneta et Losche-

ri, reclamante Bentleio: *Constantis... fide* ratum fuit etiam Doeringio, Peerlkampo, Dillenburgero, Hirschfeldero: *Constantis... fidei* cum aliis praetulerunt Ritterus, Trezza, Schuetzius, Nauckius. 10. *tui* reponendum esse censuit Peerlkampus; sed *tuis* uno ore clamant codd. 15. *Bellerophontae*. Hoc vocabulum ab Horatio primae, quam vocant, declinationi aptatum esse ex compluribus codd. colligi potest: alii, ut γφψδσβ Paris. 7973, 8213, tertiae declinationi adscribunt, adprobantibus Bentleio, Doeringio, Rittero, Trezza, Dillenburgero, qui *Bellerophonti* ediderunt. Ego Kelleri, Luc. Muelleri, Schuetzii, Nauckii, Hirschfelderi lectionem potiorem habui. 19, 20. *Et peccare monentes Fallax historias docet* machinatus est Peerlkampus. Ceterum pro *Fallax* Bentleius *Pellax* fortasse legendum esse opinatus est: idem edidit *movet*, quod adsciverunt Doeringius, Ritterus, Trezza, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Hirschfelderus, adversantibus Kellero, Schuetzio, Nauckio. 21. *durior*, non *surdior*, Horatium scripsisse credidit Peerlkampus. 22. *ludit* pro *audit* A a m. pr.: *spernit* A ab al. m. cum aliis perpaucis.

III, 8. — Hoc carmen non Horatii sed « poetae balbutientis » esse Peerlkampus scribere ausus est. 5. *sermonis* exhibent nonnullae editt. vett.; sed propter alterum illud *linguae* refutavit Bentleius, qui, si vera esset vox *sermonis*, potius *Docte sermonis utriusque, Cilni* rescribendum esse censuit. 10. *dimovebit* ediderunt Bentleius, Ritterus, Trezza, Luc. Muellerus, Nauckius, Hirschfelderus. 25, 26. *Parte* pro *Parce* supposuerunt Matthaeus Bonfinis et Daniel Heinsius,

perpaucis faventibus codd., hac interpunctione rem conficere arbitrati *Negligens, ne qua populus laboret Parte privatus, nimium cavere.* 26, 27. *cavere et... horae ac* scripsi cum Kellero et Schuetzio: *cavere... horae* per dissolutionem typis tradiderunt Dillenburgerus et Luc. Muellerus: *cavere, et... horae et* Ritterus: *cavere... horae et* Bentleius, Doeringius, Peerlkampus, Trezza: *cavere;... horae ac* Hirschfelderus: *cavere, et... horae,* Nauckius. Ceterum illud *et*, quod in v. 26 expressi, habent omnes prope codd.; at in v. 27 codd., perpaucis exceptis, nullam particulam praebent, cum *et* in uno Barcinonensi (nunc Hallensi), *ac* in Aa tantummodo sit. — *rape* post Lambinum praetulerant interpretes: veram lectionem restituit Bentleius.

III, 9. — 5. *aliam* praeferendum esse Peerlkampus quoque pro certo habuit. 9. *Cressa* pro *Thressa* Petrensis, duo Torrentii, edit. Loscheri, recepit Fabricius, improbante Bentleio: *Thressa regit Chloe,* opp. codd., maluit Peerlkampus, quod non inscite, sed ex more Horatii scriptum esse affirmavit Luc. Muellerus. 14. *Ornyti* (vel *Orniti*) codd., revocavit Bentleius, cum in omnes paene editt. *Ornithi* se intrusisset. Cfr. nomen gr. Ὄρνυτος. 20. *Reiectoque* coniectura finxit Peerlkampus.

III, 10. — 3. Bentleianum *Proiectum* etiam Peerlkampo displicuit « propter sequens *obiicere* ». 6-8 *tecta remugiat. Ventis et positas ut glaciet nives, Puro et lumine Iupiter* divinavit, ut ait, Peerlkampus. — *Duro numine,* invitis codd., edidit Bentleius, cuius quidem coniecturam laudibus prosecutus est Luc. Muellerus, sed illud *Duro* inter ipsa Horatii verba non reposuit:

aliis correctionibus hunc locum temere vexarunt. *Ne currente rota funis eat retro* a cod. Petrensi et ...leano descripsit Bentleius, cui assenserunt Doerin...us et Peerlkampus. 18. *animo* in aliquot ante ...ntleium editt. locum obtinuit: *animum* rectum esse ...monstravit Bentleius.

III, 11. — Versus 3-6 a quodam grammatico con...ctos esse opinatus est Peerlkampus. 6. *Divitum* ...odd.: *Caelitum* coniecit Baehrensius. 12. *Dura* pro *...ruda* excogitavit Peerlkampus. 17-20. Vide quae ...d h. l. animadvertit Kellerus in Epil., p. 226 sq. — *eius ...tque* codd.: *exeatque* reponendum esse existimavit ...Bentleius: *ardeatque* suspicatus est Peerlkampus, qui ...amen hos versus a librariis Horatiano carmini iniec...tos esse sibi persuasit. 49-52. Hos versus expunxe...runt Guietus et Peerlkampus quibus alii interpretes adstipulati sunt.

III, 12. — 11. *alto* ediderunt Doeringius et Peerlkampus; hic tamen *hirto* « elegantius et exquisitius » indicavit. Recentiores vero interpretes *arto* praetulerunt, quod ipse Bentleius non improbaverat.

III, 13. — 6. Bentleius *liquidos* pro eo quod est *gelidos* se reposituram fuisse scripsit, « si pace exemplarium fieri posset ». 15, 16, *loquaci... pede* pro *loquaces... tuae* ab Horatio fuisse Peerlkampus credidit.

III, 14. — Hoc carmen aspernatus est Peerlkampus, quasi ex grammaticorum officinis in Horatii opera immissum esset. 10, 11. *et puellae, et Iam virum expertae* coniecit Torrentius: *et puellae Non virum expertae* edidisset Bentleius, « si per codices liceret »: *et*

puellas Haud virum expertae ex Pottieri coniectura Dillenburgerus: alii aliis emendationibus illud *Iam virum expertae* mutare studuerunt, quod mendosum esse Schuetzius quoque et Luc. Muellerus iudicarunt. — Bentleianum illud *male inominatis* cupide arripuerunt Luc. Muellerus, Nauckius, Hirschfelderus, alii: *male nominatis* maluit Ritterus: *male ominatis* Doeringius, Trezza, Dillenburgerus, Schuetzius. 22. *cohibente* receperunt etiam Meinekius et Dillenburgerus.

III, 15. — 3. *caloribus* pro *laboribus* commentus est Dan. Heinsius, non adprobante Bentleio. 7, 8. *Non, si quid Pholoen, satis Et te, Chlori, decet* interpungere maluit Peerlkampus, quem secuti sunt Luc. Muellerus et Schuetzius. 11. *Nothi* omnes paene codd.: *Noti* Monac. 14685: *Cothi* fabricatus est Meinekius: nullam emendationem instituit Peerlkampus; quamquam librorum scriptorum lectionem sibi suspectam esse scripsit. 15. *purpureae* cod. Reginensis apud Bentleium.

III, 16. — 7. *Risissent* summo omnium consensu codd.: *Risisset* ex Bentleii coniectura Luc. Muellerus. 11-15. Peerlkampus verbis *Ictu fulmineo* et *munera navium* (ex his enim unum Horatii versum constitisse putavit) locum commenticium a grammaticis interpositum esse falso in animum induxit. Idem in vv. 18-22, servatis verbis *Maiorumque fames* et *nil cupientium*, ex quibus unum versum constituit, reliqua temere a librariis inserta esse iudicavit. 26. *impiger* codd.: *non piger* Loscheri editio « unde in sequentes ea lectio derivata est ». Sunt verba Bentleii, qui illud *impiger* in sedem suam revocavit. 38-42. *Nec, si*

plura velim cum *Multa petentibus* coniunxit Peerlkampus, ut unum versum componeret; interiecta verba ab Horatio abiudicavit. — *Alyattici* habent editt. ante Bentleium, qui sinceram lectionem ab oblivione vindicavit. In eo enim vocabulo mirum in modum variant codd., quorum complures quidem formam in *-ici* desinentem habent, veluti γτβλa corr.; alii *-ii* praebent, ut φψλ/δπa pr. (*-yi*): nullus vero exstare codex videtur, qui antiquissimam eandemque verissimam huius verbi speciem expressam exhibeat. Sed cum nullo modo *Alyattius* rex vocari potuerit, sequitur ut hoc loco aut *Alyattium* aut *Alyattei* (ab *Alyattes* deductum, ut *Achillei* ab *Achilles*) reponamus, quemadmodum apud Bentleium scriptum legimus.

III, 17. — « Hoc carmen » inquit Peerlkampus « nemo poeta aetatis Augusteae, nedum Horatius, pro suo haberi vellet ». — 2-5. Hos versus cum Sanadono, Buttmanno, Meinekio, aliis, delevit Luc. Muellerus. — *ducit* contra omnium exemplarium fidem cum Dan. Heinsio et Bentleio ediderunt Doeringius, Kellerus, Hirschfelderus, alii, qui hac de causa post *fastos* non distinxerunt, ut esset *genus* ... *ducit originem*. 13. *potes* maluerunt Ritterus, Trezza, Kellerus, Schuetzius, Hirschfelderus. 15. *porca* pro *porco* Porphyrion, probante Cuninghamo.

III, 18. — 3. *Lenis* omnes fere codd.: *Laetus* praetulit Peerlkampus, perpaucis suffragantibus codd. 7. *et vetus*, invitis codd., Peerlkampus. Idem vv. 8-10 hoc ordine atque hac distinctione scribendos putavit *Fumat odore, Quum tibi... Decembres. Ludit herboso e. q. s.* 12. *pardus* est in editione Loscheriana, stomachante

Bentleio. 13-16. « Hi versus » inquit Peerlkampus « certe sunt spurii ».

III, 19. — 4. *sacro* omnes paene codd.: *sacra* π1, receperunt Hauptius, Meinekius, alii perpauci. 7. *domum*, *quota* « magis Latinum hoc loco » arbitratus est Peerlkampus. 9-28. Hos versus Peerlkampus ab universa Horatii carminum ratione remotissimos esse credidit. 12. *Miscentur* probaverunt Ritterus, Trezza, Dillenburgerus, Schuetzius, Nauckius, Hirschfelderus. 17. *vincta* pro *iuncta* maluit Theodorus Marcilius nescio quas membranas secutus; sed hanc lectionem non immerito respuit Bentleius. 24. *humilis* omnes codd., si Blandin. vetustissimum excipias, unde *habili* hausit et defendit Rutgersius, contra dicente Bentleio. 27. *Chloe* editt. ante Bentleium qui sinceram lectionem revocavit.

III, 20. — Hoc carmen « obscurum et vix Horatio dignum » existimavit Peerlkampus. 1. *pericio* maior pars codd.: *tumultu* π Paris. 7973, 8213, alii pauci; sed id ex carm. III, 27, 17 in hunc versum a quodam Horatii studioso traductum esse iure ac merito opinatus est Bentleius. 8. Peerlkampi emendationem pauci repudiaverunt, in his Ritterus et Nauckius, qui frustra vulgatam codd. lectionem patrocinio suo tueri studuerunt. 15. *Nireus*, *puer aut* « elegantius esse » cogitavit Peerlkampus.

III, 21. — 5. *Quocumque factum numine Massicum* coniecit Bentleius; nihil tamen in versu mutavit: *Quocumque lectum nomine Liberum* maluit Peerlkampus; omnium vero codd. consensio illud *Massicum* firmat. 21-24. Hos versus, veluti si indigni essent qui Horatio

tribuerentur, removendos esse censuit Peerlkampus.

III, 23. — 2. *Philyre* editt. principes, Veneta et Loscheri, improbante Bentleio, qui *Phidyle* confirmavit plurimorum codd. auctoritate fretus: *Phillide* habent Parisini 7973, 8213 cum aliis perpaucis, item in carminis inscriptione nonnulli, ut φψβ. 8. *Pomiferi... anni* coniecit Marklandus. 11-13. *in herbis, Victima... tinguet* distinxit Nauckius. — *securim* ediderunt etiam Nauckius et Hirschfelderus. 14. *Certare* pro *Temptare* suspicatus est Peerlkampus. 17-20. Hos versus Guietus, Meinekius, Peerlkampus, alii delere voluerunt; sed vide quae acutissime animadvertit Luc. Muellerus in Prolegomenis p. XXXIX sq. 18. *Non sumptuosa* omnes ad unum codd.: *Vel sumptuosa* coniecit Schuetzius, sed a vulgata lectione non recessit. Ceterum nulla emendatione hunc locum temptandum esse multi vivi docti persuasum habent, quibus hoc ordine sententiae inter se excipere videntur *Immunis manus, si aram tetigit, mollivit aversos Penatis farre pio et saliente mica, non [futura] blandior sumptuosa hostia [oblata]*; per ablativum enim casum illud *hostia* explicandum est. Alia apud Kellerum (Epil., p. 256 sqq.) reperies.

III, 24. — 3-6. Hos versus male Horatiano carmini a librariis affixos esse Peerlkampus sibi persuasit; quos cum deleret, *Clavos* in *Saevo* mutandum esse censuit, ut cum v. 2 coniungeretur *Saevo non animum metu*. — Verba *Si figit... Clavos* Bentleius, uncinis, quos vocant, adhibitis, ac *Sic* pro *Si* substituto, a reliquis ita secludenda esse coniecit, ut separatim acciperentur; praeterea non *dira*, quod omnes codd. praebent,

sed *dura* ab Horatio scriptum esse putavit. Nihilominus codd. lectionem et vulgatam distinctionem servavit. — *mare Ponticum* edidit Ritterus, cui obsecutus est Trezza. 23. *Corpus radere* pro *Certo foedere* somniavit Hitzigius, improbavit Kellerus. 24. *pretium emori* unus Pulmanni cod.; receperunt Doeringius, Bothius, Peerlkampus qui id « grandius et antiquius » sonare arbitratus est. 26. Interrogationis notam post *civicam* Bentleius posuit, cum in superiore versu *O quis, quis* scripsisset. 30. *Carus* se in suo cod. repperisse memoravit Canterus, teste Bentleio, qui id Lambino, Fabro, Daciero, aliis magis probatum esse docuit. 39. *gelu* edidit Bentleius: Peerlkampus autem « Vir doctus » inquit « in Actis Societatis Traiectinae: *durataeque polo*. Si quid mutandum sit, mallem *durantesque solo nives*: quae nunquam resolvuntur ». At Luc. Muellerus in Proleg. illud *polo* probavit. 44. Pro *deserit* Bentleius *deserere*, omnibus refragantibus codd., legere voluit. 54. *Firmandas* ex coniectura emisit Bentleius: eius correctionem commendavit Peerlkampus. 60. *Consortem et socium* Bentleius potius legisset, « si annueret codex aliquis manuscriptus ». Idem *hospites*, quod omnes quoque Blandinii habent, praeferendum esse censuit.

III, 25. — De hoc carmine Peerlkampus « Videtur » inquit « esse praefatio maioris carminis ad laudandum Bacchum... Ipsum autem carmen Horatianum, cuius haec est praefatio, intercidisse puto. Scholiastae, qui viderunt solam praefationem, eam primum glossis, alii deinde versibus interpretati sunt ». Qua in opinione defixus non solum vv. 3-7, 12-17 adulterinos

appellavit, verum etiam in v. 8 illud *Indicium ore alio* et in v. 11 *ac pede barbaro* a glossis orta esse statuit. Idem, posito post *specus* interrogandi signo, sic in carmine « genuino » fuisse pro certo affirmavit *Edonis stupet Evias Hebrum prospiciens, et nive candidam Thracen, non secus in iugis. Nil mortale loquar. Dulce periculum est, e. q. s.* 2. *Quae in nemora* pleraeque editt. ante Bentleium, qui optimis codd. obtemperans illud *in* delevit, suffragante Peerlkampo. 9. *Edonis* ediderunt etiam Dillenburgerus et Trezza. 12-14. *ac mihi* ex tribus Cruquii codd. desumpsit Bentleius: Doeringius vero cum Lambino *Rhodopen. Ut mihi devio... Mirari libet!* quemadmodum est etiam in Didotii edit. an. 1855 (curante Duebnero). 19. *Te, Lenaee, sequi ducem* excogitavit Bentleius: *o Leloe! sequi Deum* maluit Peerlkampus.

III, 26. — *puellis... Adoneus* coniecit Aem. Baehrensius. 5-8. Hos versus a grammatico, non ab Horatio, exaratos esse Peerlkampus omni asseveratione contendit. — Pro *et arcus* Kellerus coniecit *et ascias*, quod refellit Schuetzius: *et harpas* coniecerat Cuninghamus, non assentiente Doeringio.

III, 27. — 4. *Fordaque* pro *Fetaque* suspicatus est Nic. Heinsius: *Foedaque* in nonnullis codd. fuisse coniecit Peerlkampus. 5-12. Haec a grammaticis amplificandi causa carmini adiuncta esse Peerlkampus iudicavit. 13. *navis* pro *mavis* unus cod. apud Henricum Stephanum, quod Rutgersio ansam praebuit ad corrigendum *nabis*, probante Nic. Heinsio; quamquam hic etiam *amabis* legi posse opinatus est. Utriusque vero coniecturas acerrime castigavit Bentleius.

15. *vetat* arrisit etiam Peerlkampo et Rittero. 19. *sonus* pro *sinus* scribendum esse censuit Peerlkampus. 21-24. Hos versus grammaticorum fraude in Horatianum carmen irrepsisse pro certo putavit Peerlkampus. — *orientis Haedi* in hunc versum pro *orientis Austri* ex carm. III, 1, 28 primus adscivit Muretus, unde illud in complures editt. invasit, obiurgante Bentleio. — *Et trementis Verbera ripae* cod. Regiae Societatis apud Bentleium. 26. *et* codd.: *at* ex coniectura reposuit Bentleius. 33-76. Haec de Europa fabula ab Horatianae poesis ratione nimium discrepare Peerlkampo visa est. 34. *Cretam, o pater* cod. Vigorniensis apud Bentleium. 37. *Unde? quo veni?* non bene a Doeringio distinctum est. 39. *vitiis* summo consensu codd.: *vitio* edidit Bentleius. 41-44. *quam* pro *quae* commentus est Sanadonus, cuius coniecturam suffragio suo prosecutus est Luc. Muellerus; quamquam hos versus ab Horatio abiudicandos esse existimavit. 51-56. Hos versus sic interpunxit Baehrensius *inter errem Nuda leones Ante, quam turpis macies... praedae! Speciosa quaero Pascere tigris!* 59-60. *e* | *lidere* commendavit etiam Lachmannus, *laedere collum* « ioculare dicendi genus » esse arbitratus: *Nectere collum* coniecit Ungerus, non improbante Schuetzio. 69. Meinekianum illud *abstinebis* laudavit et extulit Schuetzius, etsi vulgatam lectionem retinuit. 71. *Dum tibi invisus* edit. Ven. a. 1490: *Non tibi invisus* ex coniectura, ut videtur, protulit Georg. Fabricius: *Iam tibi iniussus* coniecit Bentleius, sed de recepta lectione nihil immutavit. 73. Interrogationis nota post *nescis* distinxerunt Bentleius, Ritterus, Trezza, Schuetzius.

III, 28. — 8. Nullum interrogandi signum voci *amphoram* apposuerunt Bentleius, Doeringius, Peerlkampus, Ritterus, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Nauckius, Hirschfelderus. 9. *in vices* ediderat et defenderat Kellerus, sed in novissima edit. *invicem* reposuit. 11. *Tum* ex Lachmanni coniectura ediderunt Trezza et Luc. Muellerus.

III, 29. — 6. *Nec semper* in suis editt. praetulerunt Ritterus, Dillenburgerus, Trezza, Schuetzius: *Ut semper* ante Peerlkampum coniecerat Nicolaus Hardingius: *Messe, i, per udum Tibur, ut Aesulae* Britannum quendam fabricatum esse a Peerlkampo didicimus. — *Aefulae* legendum esse demonstravit Aem. Huebnerus, quod omnes Horatii codd. confirmare videntur. Cfr. Kelleri Epil., p. 285. In omnibus vero libris editis hoc vocabulum non per *f* sed per *s* (*Aesulae*) descriptum erat, probantibus Dillenburgero et Trezza. 7. Sunt qui putent in voce *contemplèris* mendum latere; quare Luc. Muellerus *contempnatur* scribendum esse coniecit; Schuetzius autem totum versum sic potius constituendum esse *Declivia aspernèris arva et.* 9-12. Hos versus a scholiastis adiectos esse asseveravit Peerlkampus. — *O mitte* pro *Omitte* excogitavit Burmannus. 17. *Andromedes*, reclamantibus codd., maluit Muretus; quod deinde in multas editt. propagatum est: *Andromedae* restituit Bentleius. 28. *Tanaisve*, neglectis codd., Cuninghamus et Sanadonus. 34. *aequore* edidit Nauckius. 46. *efficies* praetulit Peerlkampus, adversantibus codd. 47. *infectumque* omnes ad unum codd.: *infectumve* scripsit Meinekius, non improbante Kellero. 58. *Litus* pro eo quod est *Malus* Hora-

tium dedisse opinatus est Peerlkampus. 60. « Multo elegantius » inquit Peerlkampus « et magis Latinum est, si scribamus: *ne Cyprias Tyriasque merces* ». 62. *Tum* ipsius vestigiis Bentleium persecuti praetulerunt Trezza et Luc. Muellerus: *Dum* maluit Lehrsius. 64. *feret* omnes prope codd. habent: *ferat* ex cod. Galeano et duobus Bodleianis adscivit Bentleius: *Astra ferent* machinatus est Peerlkampus: *Unda ferat* Lehrsius.

III, 30. — 11, 12. His versibus, quos obscuros et malos esse iudicavit, grammaticorum fraude Horatium inquinatum esse Peerlkampus sibi persuasit. — Verba *ex humili potens* de rege Dauno dicta esse falso credidit Bentleius: eadem Luc. Muellerus vitiosa existimavit. Ego vero vv. 10-13 ita interpretandos esse arbitror, tamquam si verborum ordo sit *Dicar ex humili qua* (id est *humili loco natus ibi qua*) *violens obstrepit Aufidus et qua pauper aquae... regnavit populorum*, *potens* (id est *factus potens*), *princeps Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos.* Recte igitur Doeringius hunc locum explanavit: « Ego oriundus ex ea regione, qua violento impetu devolvitur Aufidus, et ubi in terris illis aridis Dauni olim regno paruerunt agrestes populi, h. e. ego Apulus, ex humili loco ad summum gloriae fastigium evectus, extollar apud posteros ut Romanorum poetarum is, qui primus carmina lyrica, qualia Sappho et Alcaeus cecinere, modis Latinis aptaverim ».

IIII, 1. — 9. *in domo* vulgaverant editt. ante Bentleium, qui sincerum illud et latinum *in domum* reponendum esse demonstravit. Nonnulli tamen, ut

Ritterus et Trezza, veteres editt. secuti sunt; Lucianus autem Muellerus, cum *in domum* edidisset, fortasse *in domu* ab Horatio scriptum esse in animum induxit. 16. *Laetus* pro *Late* coniecit Peerlkampus. — *militiae signa feret tuae* Meinekius, laudantibus Peerlkampo et Luc. Muellero. 18. *Largis* editt. ante Bentleium, qui *Largi* huic versui reddidit; illud tamen *Largis* servaverunt Doeringius, Peerlkampus, Trezza. 22, 23. Bentleio palmam dederunt Meinekius, Ritterus, Dillenburgerus, Nauckius, Hirschfelderus. 37. *Nocturnis te ego* editt. Lambini, Torrentii, aliorum, iure improbante Bentleio; illud enim *te* ex nota versibus interiecta in paucos codd. ita irrepsisse videtur, ut inter *ego* et *somniis* sedem nancisceretur, si perpaucos excipias in quibus *te* pro *ego* scriptum est.

IIII, 2. — 13. *regesque* editt. ante Bentleium, suffragantibus Rittero, Trezza, Nauckio: *regesve* habent δπ Paris. 7973, 8213 alii pauci. 18. *caelestis* idem est ac *caelestes*. 22. *amoresque* melius rei propositae convenire animadvertit Peerlkampus, adversantibus omnibus codd. 29, 30. *per laborem, Plurimum circa nemus* distinxit Bentleius, cui aperte assenserunt Dillenburgerus, Trezza, Nauckius, Hirschfelderus, contra dicentibus Rittero, Kellero, Schuetzio, aliis, quorum sententia mihi veritate niti videtur. Versus 41-60 a nativo Romanae poesis colore adeo abhorrere, ut eos ab Horatio scriptos esse omnino infitiandum sit, apud Peerlkampum legimus. 45. *loquor* Hirschfelderus quoque praetulit. 49. *Tuque dum procedis* probatum est etiam Doeringio, Rittero, Trezzae, Schuetzio, Nauckio: *Tuque, dum procedit,* maluit Peerlkampus:

Teque, dum procedis, Dillenburgerus et Hirschfelderus: *Teque dum procedit* Hauptius et Orellius. 50. *Nos simul* pro *Non semel* legendum esse suspicatus est Schuetzius. 59. *traxit* pro *duxit* cod. Regiae Societatis apud Bentleium.

IIII, 3. — 1. *semel* codd.: *simul* commentus est Peerlkampus. 10. *perfluunt* editio prima Veneta, adprobantibus Fabricio et Daciero, quos refutavit Bentleius. 13-16. Hos versus a carmine excludendos esse putavit Peerlkampus.

IIII, 4. — Versus 2-4 et 6 Horatio falso tributos esse iudicavit Peerlkampus. Idem, cum vv. 19-22 delevisset, in versu 18 *diu* pro *quibus* legendum esse censuit, suffragante Luc. Muellero; aliis denique versibus atrum signum allinere ausus est, ut vv. 41-48, 73-76. 10. *fervidus* pro *vividus* cod. Regiae Societatis apud Bentleium. 13, 14. Cum illud *matris ab ubere* Peerlkampus cum *caprea* coniunxisset, hoc loco *ab* non aliud esse contendit quam *procul ab* (cfr. gr. ἄπο = ἄπωθεν), ut Horatii verba in hanc sententiam acciperentur *caprea, intenta laetis pascuis, procul a fulva matre*. 17. *Rhaetis* vel *Raetis* receperunt etiam Doeringius, Luc. Muellerus, Nauckius, Hirschfelderus. 18. *et Vindelici* Paris. 8213, 8216, opp. cett. 36. *Indecorant* scripsi cum Doeringio, Peerlkampo, Rittero, Dillenburgero, Kellero: *Dedecorant* rectius visum est Bentleio, Trezzae, Luc. Muellero, Schuetzio, Nauckio, Hirschfeldero. 39. *Devictus* omnes prope codd.: *Revictus* unus apud Peerlkampum, cui *Deiectus* magis arrisit. 53. *cremata*, reclamantibus codd., Meinekius et Nauckius. 60. *animosque* codd. Magdalenensis et

Bodleianus apud Bentleium. 61-64. Hos versus Meinekius ab Horatii manu profectos non esse existimavit, refragante Luc. Muellero. 65. *pulchrior*, *en*, *venit*, quod Heinsius coniecerat, aversatus est Peerlkampus. — Verbum *evenit* displicuit Luc. Muellero, cui Horatius hoc loco *exilit* honeste dicere potuisse videtur. 66, 67. *proruit* et *gerit* Nauckius quoque tutatus est. 68. « Emendari oportet » inquit Peerlkampus « *Proelia carminibus loquenda* ». 73. *perficiunt* amplexi sunt etiam Trezza, Dillenburgerus, Schuetzius, Nauckius, Hirschfelderus.

IIII, 5. — 4. *consilio* edidit Fea, cui obsecutus est Luc. Muellerus. 9. *uvido* pro *invido* tres Torrentii codd. 11, 12. *Cunctantem*, *spatium longius annuo*, *Dulci distinet* rescribendum esse Peerlkampo persuasissimum fuit. 14. *dimovet* receperunt Ritterus, Trezza, Nauckius, Hirschfelderus. 15. *victa*, non *icta*, Horatium scripsisse suspicatus est Peerlkampus. 18. *Nutrit culta* maluit Cuninghamus: alii alia commenti sunt. 25-28. Hos versus obelo, ut eius verbis utar, notandos esse Luc. Muellerus pro certo affirmavit. 27. *Motus* pro eo quod est *Fetus* legit Peerlkampus. 31. *venit* reposuit etiam Nauckius.

IIII, 6. — Versus 7-10 glossam olere iudicavit Peerlkampus. Idem vv. 29-44 ab aliquo grammatico compositos Horatioque adscriptos esse putavit. 17. *captos* edit. Loscheri, improbante Bentleio. 21. *flexus* praetulerunt etiam Dillenburgerus, Schuetzius, Hirschfelderus. 25. *Ductor* in tribus suis repperit Torrentius, in Reginensi autem et Vigorniensi Bentleius: *Ductor Argivae* placuit Torrentio: *Doctor Argi-*

vas Bentleio: hic tamen vulgatam lectionem non temere de loco movendam esse animadvertit.

IIII, 7. — 15. *pater Aeneas* ediderunt etiam Ritterus, Trezza, Schuetzius, Hirschfelderus. — *quo dives Tullus* Doeringius, Trezza, Dillenburgerus, Luc. Muellerus, Nauckius: *quo Tullus, dives* Ritterus. Ceterum illud *dives* post Bentleium et Peerlkampum aliis viris doctis corruptae scripturae suspicionem iniecit; sed nemo, nisi fallor, quomodo hic locus emendandus esset ita declarasse videtur, ut omnem dubitationem tolleret.

IIII, 8. — Huius carminis tantummodo vv. 17 et 33 repudiandos et reiciendos esse recte viderunt Nauckius et Hirschfelderus. Nullum versum secluserunt Ritterus, Trezza, Dillenburgerus, Kellerus; Schuetzius contra in Peerlkampi sententiam concessit. 1. Pro eo 'quod est *grataque commodus* Peerlkampus *atque Corinthia* legendum esse duxit. 9. *nec tibi* ediderunt etiam Doeringius, Trezza, Schuetzius, Nauckius. 12. *muneris* Nauckius quoque potius habuit.

IIII, 9. — Versus 17-24 Peerlkampus indignos esse iudicavit qui pro Horatianis haberentur. Idem ordinem versuum ita perturbavit, ut in hunc modum inter se exciperent 13-16, 25-44, 1-12. 29. *sepultae... inertia* (abl.) coniecit Bentleius: *sepulti... inertiae* maluit Peerlkampus. 31. *sileri* defenderunt Kellerus et Schuetzius. 43. *Voltu et per* invitis codd. Bentleius.

IIII, 10. — 5. *Ligurine* Bentleio obsecuti ediderunt Luc. Muellerus, Kellerus, Hirschfelderus: *Ligurinum* cum plerisque servavi. 6. *te in speculo* reposuerunt Doeringius et Schuetzius.

IIII, 11. — Utrum hoc carmen Horatio an grammatico eius imitatori adiudicandum esset dubitavit Peerlkampus; sed versus 5-12 ab homine scholastico, quem vocat, exaratos esse certis argumentis se demonstrasse credidit. 9. *festinant* coniecit Nic. Heinsius, non adprobante Bentleio.

IIII, 12. — 7. *quae* pro *quod* cod. Regiae Societatis apud Bentleium. 16. *mereberis* praetulerunt etiam Ritterus et Hirschfelderus.

IIII, 13. — 11. *Dentes*, *te quia* probaverunt Ritterus, Trezza, Dillenburgerus; ediderat etiam Kellerus, postea vero distinctionem, quam tuemur, restituit. 14. *clari* exhibent editt. Doeringii, Dillenburgeri, Trezzae: *cari* cum Bentleio et plerisque recentioribus edidi. 17. Bentleius vulgatam suis temporibus interpunctionem, qua *decens* ad *color* referebatur, iure culpavit, non assentiente Nauckio, cui *quove color decens?* iucundius fuit. 21. Post *notaque* distinxerunt omnes editt. ante Bentleium. Hic comma post *Cinaram* tantum collocavit. 22. *facie* maluit Dacierus, sed eius coniecturam acerbe vituperavit Bentleius. 28. *Delapsam* edidit Ritterus.

IIII, 14. — 4. *fastos* receperunt Dillenburgerus, Trezza, Nauckius. 5. *Extendet* pro *Aeternet* Peerlkampus scribendum esse coniecit. 9-40. Hos versus Horatianos esse infitiatus est Peerlkampus. 17. *in certamine Martio* nonnulli interpretes a vitiata scriptura ortum esse putant. Quare Nauckius *inter fulmina Martia* ad hunc locum emendandum excogitavit. 28. *minitatur* assumpserunt etiam Nauckius et Hirschfelderus. 47. *Te bellicosis qua remotus* machinatus est

Peerlkampus. 49. *parentes* ratum habuit Trezza. IIII, 15. — 2. *increpuit lyrae* somniavit Peerlkampus. 7. *direpta* edidit Ritterus. 9. *Quirinum* exscriptum est in Doeringii editione. 15. *ortum* placuit etiam Doeringio, Trezzae, Schuetzio.

Epod. 1. — 5. *si* defendit Bentleius, receperunt Doeringius, Dillenburgerus, Trezza, Luc. Muellerus, Nauckius: *si est* ex coniectura protulit Ritterus: *sic* reposuit Schuetzius. 19-22. Hos versus ex grammaticorum umbraculis productos esse credidit Peerlkampus. — *non*, *ut adsit*, *auxili* Doeringius, Ritterus, Kellerus, Dillenburgerus, Trezza, Schuetzius, Nauckius: *non uti sit auxili* maluit etiam Hirschfelderus. 26. *mea* placuit etiam Doeringio, Dillenburgero, Trezzae, Schuetzio, Nauckio: ego Rittero, Kellero, Hirschfeldero adstipulatus sum. 28. *pascua* ediderat Loscherus, improbante Bentleio; haec tamen lectio Doeringio et Nauckio magis arrisit. 34. *perdam nepos* probaverunt etiam Dillenburgerus, Trezza, Nauckius.

Epod. 2. — 13. *Inutilesve* ediderunt Dillenburgerus et Trezza. 25. *ripis* cum editt. vett. Bentleius, Doeringius, Kellerus, Luc. Muellerus, Schuetzius, Nauckius: *rivis* Peerlkampus, Ritterus, Trezza, Hirschfelderus. 27. *Frondesque* edidit Doeringius. 35. Bentleianum illud *ve* amplexus est Dillenburgerus. Versus 37, 38. Peerlkampus suspectos habuit, etsi eos sic emendari posse existimavit *Quis non habendi quas amor curas habet* aut *Non laminarum quas amor curas habet e. q. s.*: Lucianus autem Muellerus *quas ager curas habet* « fortasse scribendum » esse excogitavit. 39. sqq.

« Vel hic » inquit Peerlkampus « legendum *iuvans*, vel in sequentibus *Sacrum et vetustis*, quod Cruq. e. MSS. volebat ». 51, 52. Hos versus delendos censuit Peerlkampus. 65. *Postosque* ab Horatio scriptum esse frustra Kellerus demonstrare studuit. 69. *relegit* complures editt. ante Bentleium, qui Loscherianam lectionem iure ac merito revocavit.

Epod. 3. — 11, 12. *iuga: Perunxit hoc Iasonem* distinguendum esse iudicavit Peerlkampus.

Epod. 4. — 9. *avertat ora ut huc* Latinitatem postulare asseveravit Peerlkampus.

Epod. 5. — 1-6. Peerlkampus vulgatam lectionem sic corrigendam esse putavit *At, o Deorum quisquis in coelo regis, Terres et humanum genus.* Idem *si vocata partubus Lucina ventris adfuit* coniectura finxit. 27. *capillos... asperos* Horatii fuisse Peerlkampus sibi persuasit. 28. *Laurens* probatum est etiam Doeringio, Luc. Muellero, aliis paucis: *Furens* legit Pseudo-Acron. 37. *Exsecta* vel *Execta* adsciverunt Peerlkampus, Ritterus, Kellerus, Schuetzius, Hirschfelderus: *Exsucta* Doeringius, Dillenburgerus, Trezza, Luc. Muellerus, Nauckius. 55. *Formidolosae* edidit etiam Doeringius: *Formidulosae* Schuetzius, qui hanc lectionem Pseudo-Acronis auctoritate firmari animadvertit. 69, 70. Hos versus aspernatus est ac respuit Peerlkampus. 82. « Elegantius » inquit Peerlkampus « legeretur: *Bitumen atrum his ignibus* ». Versus 87, 88 spongia potius quam medicina sanari posse affirmavit Bentleius; quod cum vere dictum esse Peerlkampus aestimaret, eos omnino delere non dubitavit. — Hauptii coniecturam etiam Hirschfelderus ratam habuit.

Epod. 6. — 5. *Laco* nonnulli codd., ut AaBγδ² Monac. 14685, adprobantibus Luc. Muellero et Schuetzio. 8. *procedet* ex paucis codd. Dillenburgerus.

Epod. 7. — 12. *Unquam* vel *Umquam* exhibent prima edit. Veneta et Loscheri; reposuerunt Ritterus, Dillenburgerus, Nauckius. Ceterum silentio praetereundum non est Nic. Heinsium hunc versum sic ex coniectura legere voluisse *Umquam nisi dispari in fera*; contra in edit. Veneta an. 1490 *Numquam nisi in disparibus feris* typis exscriptum esse. 13. *caecus* ediderunt Doeringius, Peerlkampus, Ritterus, Dillenburgerus, alii multi, refragante Nauckio. 15. *albus ora pallor* assumpserunt etiam Dillenburgerus, Nauckius, Hirschfelderus.

Epod. 8 — 17. Cum Nauckius vulgatum illud *minus* et prope omnibus criticis probatum retinuisset, *iacent* pro *rigent* ab Horatio scriptum esse suspicatus est.

Epod. 9. — 17-20. Hos versus ab Horatii ingenio alienos esse putavit Peerlkampus. — *Ad hunc* praebet Loscheri editio, atque eam lectionem et plerique libri ante Bentleium editi receperunt et ceteris lectionibus Ritterus praetulit. Quamquam est animadvertendum falso viros doctos illud *Ad hunc* sic interpretando explanasse, ut *adversus* vel *contra Antonium* esse dicerent, quemadmodum apud Pseudo-Acronem scriptum legi atque a Rittero comprobatum esse constat. Bentleianae autem correctioni indulserunt cum Doeringio plerique recentiores: *At hoc* maluit Nauckius. 25. *Neque Africanam cui super Carthaginem* non sine dubitatione proposuit Peerlkampus: *Neque Africanum, quo super e. q. s.* coniecerat Bentleius, sed nihil mutaverat:

Neque Africano, cui primus, ut videtur, invexit Aldus Manutius, quod deinceps a Lambino et Cruquio confirmatum in complures editt. irrepsit, improbante Bentleio; hanc tamen lectionem reposuerunt Ritterus et Nauckius: *Africani* pro *Africanum* coniecit Madvigius, quasi hanc Horatii verbis significationem subiectam esse pro explorato haberet *Neque cui (bello) Africani virtus... sepulcrum condidit* (= *quod sepelivit*). 35, 36. « Non impetrare a me possum », inquit Peerlkampus « ut credam haec esse Horatii ».

Epod. 10. — 13. *usta*, adversantibus codd., Meinekius.

Epod. 11. — 9. *et languor* amplexi sunt Doeringius et Peerlkampus. 12. Post *ingenium* interrogationis notam sustulit Bentleius, cui assenserunt Peerlkampus, Ritterus, Luc. Muellerus. 16. *dividum* fortasse legendum esse iudicavit Schuetzius; sed codd. reclamant. 24. *mollitie* placuit etiam Dillenburgero, Schuetzio, Hirschfeldero.

Epod. 12. — 2. *quid mihi* receperunt Dillenburgerus et Hirschfelderus.

Epod. 13. — 8. Etiamsi in carm. II, 11, 16 *Assyriaque nardo* edendum curavi, tamen hoc Epodi loco genus neutrum feminino praeferendum esse et codices suadent et Bentleii argumentum confirmat, qui insuavem homoeoteleuti sonum in fine versus (*Achaemenia... Cyllenea*) ab Horatio sine dubio vitatum esse animadvertit. Ceterum *Nardo perunctum, quale non perfectius* scripsit poeta in Epod. 5, 59. 15. *secto* pro *certo* coniecit Achilles Statius: *curto* Bentleius: Peerlkampus autem totum versum ita refingendum putavit *Unde tibi reditum certae et subtemina Parcae*. 17, 18. Cum

Bentleius *aegrimoniae* cum *malum* ita cohaerere statuisset, ut ordo esset *Illic omne malum deformis aegrimoniae levato*, non dubitavit quin *aegrimoniae, ac dulcibus alloquiis* legendum et distinguendum esset; vulgatam tamen lectionem non removit: Peerlkampus vero *Deformem et aegrimoniam dulcibus alloquiis* machinatus est.

Epod. 14. — 3. *veluti ducentia* edidit Loscherus. 15. *me et libertina, neque uno* dubitanter emisit Peerlkampus.

Epod. 15. — 3. *lusura* excogitavit Nic. Heinsius, non adprobante Bentleio. Versus 8, 9 a glossa, quam vocant, Peerlkampus manasse credidit. — *Turbarit... agitarit* expressit Bentleius, quem imitatus est Nauckius. Ceterum de his versibus scripsit Luc. Muellerus « Locus desperatùs, ut ab eo temptando abstinere melius sit. Nam quod Madvigius post *Orion* posuit comma, delevit post *mare* positum, ut ad v. 7 supplendum sit illud *esset*, vix cuiquam probatum iri existimo ». 15. *offensi* Bentleio obsecuti ediderunt Doeringius, Luc. Muellerus, Kellerus, Schuetzius: *offenso... corde* commentus est Peerlkampus, *corde* pro *formae* reponens. — 16. *intravit* maluit Meinekius; neque id reprehendit Luc. Muellerus, dummodo *cedit* in v. 15 et « semicolon vel punctum » post v. 14 reponatur.

Epod. 16. — Versus 19, 20, 27-38, 65, 66 pèrperam a librariis Horatiano carmini immissos esse Peerlkampus persuasum habuit. 6-8. *Novisve... Parentibusve*, quod voluit Bentleius, refutavit Peerlkampus. 15. *quid expediat* ediderunt Doeringius, Ritterus, Dil-

lenburgerus, Trezza, Schuetzius, Nauckius, Hirschfelderus: *quod expediat* recte praetulerunt etiam Meinekius, Kellerus, Luc. Muellerus, quibus assentior. 33. *flavos* editt. vett.: *ravos* ex quattuor Blandiniis primus adscivit Bentleius; atque hanc sinceram Horatii lectionem nunc omnes interpretes ratam habere videntur, in his etiam Kellerus, qui olim *flavos* tueri atque edere non dubitaverat. 39. *animus* pro *virtus* excerpta Bodleiana, non contemnente Bentleio. 41, 42. *circum vagus arva beata. Petamus* legit et distinxit Luc. Muellerus: idem alterum illud *arva*, quod est ante *divites*, in libris scriptis corruptum esse arbitratus est: *Oceanus circumvagus, arva beata*; *Petamus arva* interpunxit Nauckius. Versuum 50 sqq. ordinem a librariis perturbatum esse ob eamque causam suo quemque loco in hunc modum esse collocandos 50, 53-56, 61, 62, 51, 52, 57-60, 63, 64 Peerlkampus putavit. 51, 52. *vespertinum* pro *vespertinus* et *alma* pro *alta* coniectura finxit Marklandus: Doeringius vero « equidem » inquit « pro *alta* malim *alma*, vel *atra*, ut, sicut *intumescit*, ad *atrum* viperarum venenum referatur ».

Epod. 17. — 5. *Refixa*, auctore Bentleio, plerique interpretes ediderunt: *Defixa* maluit Doeringius. 17, 18. *Circa* ex cod. Graeviano protulit Broukhusius, laudavit et confirmavit Bentleius, qui praeterea *Relapsus* legit: *Relatus*, quod habet Veneta editio princeps, revocavit Schuetzius. 20. *O amata* coniecit Bentleius. Hunc autem versum post v. 48 collocandum esse existimavit Peerlkampus. 22. *ora* edidit et defendit Schuetzius. 33-35. *Furens* post Bentleium recepit Doeringius. —*flamma. Tua, donec cinis...*

ferar, Calet venenis officina ex coniectura edidit Bentleius. 38-41. *Paratus, expiare seu... iuvencis, sive... Voles sonare Tu pudica, tu proba*; *Perambulabis* distinxit Bentleius in curis novissimis. 42. *vicem* restituit Bentleius: *vice* retinuerunt Doeringius, Peerlkampus, Ritterus, Trezza, Nauckius. 60. *proderat* edidit Bentleius, suffragantibus Doeringio, Rittero, Dillenburgero, Trezza, Luc. Muellero, Nauckio, Hirschfeldero; sed *proderit*, quod in vett. editt. a codd. descriptum erat, servaverunt Peerlkampus, Kellerus, Schuetzius. 62. *Si* editt. ante Bentleium, qui *Sed* Horatio reddidit. 64. *laboribus* magis arrisit Bentleio, Rittero, plerisque denique recentioribus. 74-81. Hos versus Guietus delere voluit; nullum vero argumentum attulisse videtur, quo sententiam suam firmaret. 78, 79. *possum... Possum* aliquot editt. ante Bentleium, qui veram lectionem omnibus codd. suis comprobatam et in antiquas editt. receptam ab oblivione vindicavit. 80. *poculum* editt. ante Bentleium, item Doeringii, Peerlkampi, aliorum: *pocula* Bentleium secuti recentiores interpretes sumpserunt. 81. *nil valentis* coniecit Iacobsius, ex Pulmanni autem codd. edidit Sanadonus, improbante Peerlkampo.

Carm. saec. — Versus 5-8 ex glossa poetica fluxisse, ad *tempore sacro* declarandum composita, Peerlkampo persuasissimum fuit. Idem vv. 17-20 indignos esse contendit, quos ab Horatio scriptos duceret. 21. Pro *undenos* est *ut denos* in λ: *Certe sunt denos* praebet B. Versus 25-28 hac distinctione legendos esse censuit Peerlkampus *Vosque veraces cecinisse, Par- ' Quod semel.., servat, bona iam peractis Iungite fata*;

in eiusque sententiam concessit Nauckius qui *parcae: Quod semel* interpunxit. — *servat* legimus etiam apud Doeringium. 49. *Quique* post Aldum plerique interpretes ediderunt. Quamquam vero Bentleius *Quaeque* ex optimis codd. atque ex nonnullis vett. editt. restituit, tamen non solum Peerlkampus, sed etiam ante hunc Doeringius illud *Quique* tueri non dubitavit. 51. *Imperet*, quod aliquot editt. vulgaverant, repudiavit Bentleius ut *Impetret* in eius locum supponeret; illud tamen Doeringius defendit. 65. *Hic* pro *Si* maluit Madvigius, improbante Schuetzio. — *arces* ediderunt Bentleius, Doeringius, Peerlkampus, Ritterus, Dillenburgerus, Trezza, Luc. Muellerus, Nauckius: *aras* cum Kellero Schuetzius et Hirschfelderus. 68-72. *Prorogat... Curat... Applicat* restituit Bentleius; ante eum enim illud *Proroget... Curet... Applicet*, quod miror Doeringium aliosque loco movere noluisse, summo consensu comprobaverant interpretes.

FORAS DATVM EST
MENSE IVNIO
AN. MDCCCXCII
EX OFFICINA LIBRARIA LIBVRNENSI
FRANCISCI VIGO